-c
1
6
F
6
NAZIONALE
EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google



Joseph. Greut. incid.

Digitized by Google



Digitized by Google

GVLIELMI DONDINI BONONIENSIS

E' Societate IESV

CARMINA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

VENETIIS, M. DC. LV.

Apud Franciſcum Baba.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD LECTOREM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CArmina, in Collegio Romano, quindecim annorum ſpatio de me audita, cum Gręcam, aut Latinam eloquentiam explicarem, oculis reddo tuis, amice Lector, in lucem edita non ſpe aliqua inuitante, ſed metu. Quam enim inanis

gloriolæ auram, etiam ſi captandam duceret, ſperare potuit mediocritas noſtra, in ſæculo tam decoris omnium artium monumentis occupato? infeſtiùs præſertim inſurrectura, vt aduersùs viuentem inuidia, cuius morſum clariſſima ingenia vix effugere morte potuerunt? Sed cum fatalem rerum omnium orbem viderem, mutarique, vel ætate noſtra mores hominum, ingenia, ſtylum, timui ne, ſi quando ego quoq; mutata voluntate ad hæc publicandum adducerer, quæ modò ex aliena benignitate probantur vtcunque, olim merito ſuo improbarentur. Accedit, quod ad grauioris ſcriptionis genus euocato,

ad

ad Alexandri Parmenſis Ducis hi-
ſtoriam Famiani Stradæ exceſſu
non abſolutam, alienum futurum
videbatur, voluptati, per poetica
ſeruire mendacia, ſacerdotem ve-
ritatis. Quamquam in hiſce ca-
noris nugis, me animorum frugi
non minus, quàm innocentibus
delicijs, velut in ludo ſerio ſtu-
duiſſe, ex artis magiſterio præ me
fero. Vtrum aſſecutus id fuerim
experientis eſto iudicium, à con-
ſcientia mihi conſtabit pretium
religioſæ voluntatis. Nam & ar-
gumenta plurimùm ſacra, vel for-
mandis moribus idonea ſuſcepi-
mus, & in ijs per ambages, exituſq;
tragico ſimiles deuoluendis, af-
fectibus, ac ſententijs non otioſis

in-

Digitized by Google

indulſimus. Vnum rogatum te volo, vt nonnullam in ſyllabis licentiam aliquando condones, in cæſuris, ac nominibus, quæ aliàs nuſquam, vel minus bellè in heroicum carmen admitterentur, in ijſdemq. pro arbitratu variandis. Quamvis non ſine magnis exemplis Virgilij, & aliorum id fecerim; ſed frequentiùs vno in carmine, occaſione argumenti. Cœterùm adoleſcentes, ne paria audeant, retinebit (opinor) ſuus pudor, & interdicta magiſtrorum. A magiſtris, poſt exactam in Rhetoricæ curriculis tertiam partem ætatis, hanc veniam petimus, & viciſſim damus.

INDEX CARMINVM.

IN *Alexandri VII. Pont. Opt. Max. electionem.* Pag. 1

Arcus Palatinus Innocentio X. P. M. dedicatus. 18

Auſtriacum Imperium Religione partum. 38

Delphino Genethliacon. 61

Caſimiri IV. Poloniæ Regis inauguratio. 83

Venetus de Claſſe Piratica triumphus. 105

Fluuiorum contentio de laſtrando aquis in baptiſmate Coſmo Tertio. 125

Bellum Hibernicum pro Catholica fide. 151

Funebria ad Chriſti tumulum.

Di-

Diræ. 177
Saltatio. 188
Scenæ Abrahami ſacrificium. 192
Samſon ludens. 203
Martyrum triumphus. 217
Armorum ludus ad cunas Virginis. 233
Auguſtinus in interiore pugna Victor. 241
B. Aloyſius à Dæmone transformato in Angelum lucis fruſtra oppugnatus Societati Ieſu nomen donat. 252
B. Aloyſius flagris & ſanguine aditum impetrat in Societatem. 259
B. Aloyſius in officijs Chriſtianæ charitatis extinguitur. 266
B. Aloyſius à prophana militia ad ſacram traducitur. 273
B. Aloyſius mercedem amoris ſui per cæleſte ſpectaculum delibat. 279
Emmanuclis Soſæ infortunia. 287
Satira in varia vitia. 305
Regnum Paupertatis. 323

Goſui-

Goſuinus Nikel Societatis Ieſu Præpoſitus Generalis.

CVM Carmina P. Gulielmi Dondini noſtræ Societatis, tres eiuſdem Societatis, quibus id commiſimus recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandentur, ſi ita Reuerendiſs. D. Viceſgerenti, & Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal. videbitur, in cuius rei fidem has littera manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus.

Romæ 20. Martij 1652.

Goſuinus Nikel.

Imprimatur

Si videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.
A. Riualdus Viceſg.

Imprimatur

Fr. Vincentius Fanus Mag. & Socius Reuerendiſs. P. Fr. Vincentij Candidi S.A.P. Mag. Ord. Præd.

Diræ. 177
Saltatio. 188
Scenæ Abrahami ſacrificium. 192
Samſon ludens. 203
Martyrum triumphus. 217
Armorum ludus ad cunas Virginis. 233
Auguſtinus in interiore pugna Victor. 241
B. Aloyſius à Dæmone transformato in Angelum lucis fruſtra oppugnatus Societati Ieſu nomen donat. 252
B. Aloyſius flagris & ſanguine aditum impetrat in Societatem. 259
B. Aloyſius in officijs Chriſtianæ charitatis extinguitur. 266
B. Aloyſius à prophana militia ad ſacram traducitur. 273
B. Aloyſius mercedem amoris ſui per cæleſte ſpectaculum delibat. 279
Emmanuelis Soſæ infortunia. 287
Satira in varia vitia. 305
Regnum Paupertatis. 323

Goſui-

Goſuinus Nikel Societatis Ieſu Præpoſitus Generalis.

CVM Carmina P. Gulielmi Dondini noſtræ Societatis, tres eiuſdem Societatis, quibus id commiſimus recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandentur, ſi ita Reuerendiſs. D. Viceſgerenti, & Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal. videbitur, in cuius rei fidem has littera manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus.

Romæ 20. Martij 1652.

Goſuinus Nikel.

Imprimatur

Si videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.
A. Riualdus Viceſg.

Imprimatur

Fr. Vincentius Fanus Mag. & Socius Reuerendiſs. P.
Fr. Vincentij Candidi S. A. P. Mag. Ord. Præd.

Digitized by Google

Digitized by Google

I N

ALEXANDRI

V I I.

PONT. OPT. MAX.

ELECTIONEM

COELI TERRÆQ; CONSENSVS.

a 2

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtriſs.^mo^ & Excellentiſs.^mo^ Principi

IOANNI BAPTISTÆ BVRGHESIO.

GVLIELMVS DONDINVS FEL.

COgitanti mihi, cui nam carmen inſcriberem in ALEXANDRI VII. electionem editum, Tu prę cipuè Princeps Excellentiſsime occurrebas, cui vetus cum auguſtiſsimo Pontifice, patria communis, propinquus inſuper ſanguis; ſed Princeps cauſa, quòd, vti Senenſes cæteros altiſsimi ſpiritus Pontifices in Alexandri virtutibus, ſic & magnum Patruum Tuum PAVLVM V. Burgheſium iri reprę ſentatum ſperamus, immo iam cernimus. Nam ſi Octauianus Auguſtus cariſſimo ſibi capiti, ſuperiorum virtutem Principum felicitatem ſuam augurari ſolebat: ſuperuacaneum profectò eſset quinque gentilium Pontificum ALEXANDRO VII. laudes optare, qui ſtatim ipſo principatus ingreſſu in magnani-

ma cuſtodia iuris, & dignitatis, Gregorium VII. & Alexandrum III. repręſentauit, conſtantiam illam, & fortitudinem mortalium ſummis venerandam, quia mortalium neminem reformidabant; in cultu ſapientiæ, & amore litteratorum, lacteoq; facundiæ flumine tum lingua, tum calamo redundantis vtrumq; Pium, priorem quoq; in ſtudio pacandi Occidentis, Orientis ad veram fidem reuocandi, tuendæq; armis Venetæ Reipublicæ contra Othomanos. At PAVLI V. Pontificis felicitatem, ſecundiſſimumq; vitæ, ac principatus curriculum, augurari licet Alexandro, cogitationes omnes Pontificias, & ſpiritus in publica commoda conferenti. Siquidem Pauli tempora tam fortunata fuiſſe meminimus, vt eo viuente, Vrbem cum prouincijs Italiam, & circum iacentia Regna pax plurimùm immota beauerit, compreſſo ſtatim auctoritate Pontificis, motu ſubalpino bellorum, quæ vt incendia, in ortu facilè, in progreſſu vix, niſi ruina extinguuntur, cum arderet Germania bello contra Hęreticos, in quo res Catholica ſuperior, conſilium, opemque & ſuos Diuos præbente Paulo, vnde Pragenſis laurea, & Bohemica corona Ferdinando. Eo vero extincto, ſuſcitatis primùm in Tellina valle, deinde vehementiùs motis tota Europa Regum armis, tri-

ginta amplius annos vſque ad hanc diem, vbique Terrarum, & marium Chriſtianus ſanguis effunditur. Cum inſuper fęderata bello mala, peſtilentia, & fames tum reliquis Regionibus, tum miſeræ Italiæ deuaſtandæ, non ſemel incubuerint.

Et quamuis felicitas Principum, vt ait Romanus Orator, cæleſte ſit donum, quod promittere nequaquam ſibi, aut præſtare quis poſsit, felicitatem tamen Imperij PAVLO V. regnante, illius quoque virtuti aliqua ex parte propterea imputandam cenſeo, quod initio Pontificatus duo ſe Deo Opt. Max. pollicitum eſſe dicebat, perpetuam iuris, & annonæ curam, gemina quaſi vbera publicam felicitatem alentia, in nummis vtens pro inſigni: Iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt. Vt ſileam innócentiam vitæ, cum pudicitiæ flore (vt creditur) illibato, expiandi quotidie animi recreandique litatæ Cœlo diuinæ Hoſtię pabulo morem, quæ vt priuatæ laudes in priuato homine videantur, nonnihil certè ad publicam felicitatem ſpectant in Principe: conciliato per has ipſi Principi, reiquepublicæ Deo. Sed iſta fuſiùs ea Tibi gratia Princeps Excellentiſsime, commemoraui, vt narrata Pauli, & ſuperiorum Pontificum decora, in Alexandro recognoſceres, & per hunc illorum omnium virtutes Orbi

Terrarum reſtitutas lætarere. Supereſt, vt qua indole es, ac ingenio, doctrinæ laudiſque quantumlibet magnæ capaci, imitatione in Te exprimas, cum PAVLO V. Pontifice paternos Burgheſiæ gentis proauos, qui pacis, ac belli artibus inclyti multis retro ſæculis floruerunt. Neque hos tantùm, ſed maternos quoque cum Clemente VIII. & Gregorio XV. Aldobrandinos & Ludouiſios omnem præterea in Te deriuatam, per CAMILLAM auiam XISTI V. proneptem, Vrſinam nobilitatem, in qua tantum Pontificum, Ducum, & Regum. Eoque impenſius Tibi, ad faſtigium ſolidæ gloriæ enitendum puto, quod vnicum propemodum ſtirpis clariſsimæ germen, tot familiarum nomina ſuſtines; vt quemadmodum ſanguinem, opes, & fortunam, ſic & ſapientiam referas Excellentiſſimi Principis MARCI ANTONII aui tui, qui vnus pariter, & ipſe, in hac aula, & luce Romana, Burgheſiam amplitudinem tanta cum dignitate ſuſtentat, veneratus Principibus, percarus Regibus, ſummis Pontificibus approbatus. Vale.

PRO-

PROLVSIO.

INgens hoc ſeculo per ALEXANDRI VII. Pontificis Opt. Max. electionem documentum eſt datum: Romæ ſummæ virtuti deferri ſummum Imperium. Conticeſcent illa inuidorum ora, Pontificijs comitijs obtrectantium, tamquam obnoxijs, & priuatæ magis rei, quam publicæ ſatagentibus: vbi ſuffectum agnoſcent par Chriſtianæ Reipublicæ laboranti caput, factionibus Principum charum, quia factionibus intactum, & maius, non annorum, ſed virtutum numero prælatum cæteris, doctrina cum rerum vſu, prudentia cum pietate, magnitudine animi, cum modeſtia conſpirantibus: iuris, & maieſtatis, cum paternæ charitatis cura, pectoris, & linguæ opibus commendatum: dilectum ſuis, exteris veneratum, formidatum hoſtibus, omnibus admirandum, nemini inuiſum: In patria genitum clariſſimo-

rum

rum Pontificum facunda, de familia ab antiquo ſplendida, Pontificijs, ac ſplendidiſſimis affinitate, atque inſignibus innexa; quæ ciues tulit opibus, & magnificentia certantes cum Regibus, Diuos, ſideribus dedit, & dabit; Virum denique, ſi fas eſt dicere, cæleſtem inter mortales, quem ab indulgentia Numinis donatum, ad erigendum genus humanum, bellorum, hæreſum, Mehemeticæ ſuperſtitionis malis afflictum, ſuffragatio populorum, diuinæ index, & conſenſus Chriſtiani Orbis depopoſcerat. Quod ſi veritatis numeros continet illa Hiſtorici ſententia: Virtutes ijs temporibus optimè æſtimari, quibus facillimè gignuntur, neceſſe profectò eſt, non omninò laudum videri ſterile hoc ſeculum, quod ALEXANDRI VII. *Sapientiam, & Sanctitatem honore ſupremo conſecrauit. Neque enim optimum Pontificem, niſi optimi eligerent, Sapientiſſimum Sapientes, & ipſorum plerique Summo faſtigio digni, niſi vnus omnium digniſſimus extitiſſet. Quem à Germania, & Monaſterienſi Conuentu reuocatum, vbi heroica virtutum ſublimitate perfecerat,*

vt

vt nouarum opinionum Sectatores, Catholicam religionem odiſſe non poſſent, cuius exemplum in CHISIO Præſule amabant: Cum INNOCENTIVS X. P. M. principalium curarum adſumpſiſſet in partem, experimento trimeſtri contentus, purpuræ admouit, Romæ, atque Italiæ plauſibus, toto Septemtrione reſonante. Deinde triennio nondum exacto, poſt Innocentij exceſſum conſpirantibus quotquot aderant in Comitijs, quatuor ſupra ſexaginta Patrum ſuffragijs, Vicario Diuinitatis in Solio collocatum, adoramus. Magna ætatis noſtræ gloria, quæ per ALEXANDRVM Pontificem habet, vt præteritæ non inuideat, inuidiam venturæ faciat, maiori Eminentiſſimorum PP. qui eum legerunt: multo verò illius maxima, quo vniuerſi & fruimur, & gloriamur. Cum autem in admirabilem hanc electionem, Diuorum, hominumque vota conſenſiſſe, nemo non ſentiat, nos arcanas rationes, & ordinem confingentes, veritatem poeſi veriſimili coloramus. Parum intereſt quonam figmento res explicetur, dum pro certo eſt, cælites, & mortales diligendo tam bono

Eccle-

Eccleſiæ capiti adfuiſſe. In ſummam felicitatem non incidimus, ventis à Cælo, à terra fauentibus, in hunc portum appellimus. Vix labore magno, res humanæ retrò fluentes, & ruentia in peius ſecula ſuſtinentur: ne dum quis exiſtimet, caſu fieri poſſe regna beata. Quemadmodum vniuerſæ naturæ coaleſcentis opus dicitur vnio princeps gemmarum; ita conſentientis vtrinque prouidentiæ munus eſt Princeps noſter, gemma Reipublicæ: futurus populis ingens, ſi tempora felicia fuerint, ornamentum, ſi calamitoſa, præſidium: & quæ ſumma ſummarum eſt, ad beatam æternitatem, tum monitis, tum exemplis, incitator, & ductor.

CAR-

CARMEN.

FAuiſtis Superi! pietas Diuina querelas
Audijt humanas, nec terras odit olympus:
Vnanimi aſſenſu, diuùmq. hominumq. tenemus
Pontificem, qualem votorum audacia feſſis
Optauit populis. Vnus fulcire ruentem
Qui mundum, euerſoque valet ſuccurrere ſeclo.
O nimium formoſa dies, quæ ſeptima verno
Sole coruſcauit! miſero, qua ſeptimus Orbi
Fulſit ALEXANDER. Melioris origine fati
Quot mala compenſas? ò lux par omnibus annis
Vna, per immenſos æui celebranda rotatus.
Iam verno genitum non abnuo tempore mundum:
Sæcula ver illud peperit, hoc ſæcla nouauit.
Iam feſſus ſenio, & regnati pondere mundi
Chriſtiadum Princeps, animum diuiſerat aſtris,
Corpus humo, placida compoſtus vtrumque quiete.

Vndi-

Vndique Romulei lectiſſima lumina regni
Conuenere, ſacro qua ſidera Vaticanus
Culmine tangit apex, & Romam iungit Olympo.
Scilicet auguſtam mentem, imperijque capacem
Suffectura, parem moli, vaſtumque replentem
Corpus; adorandum terris, ereboque tremendum
Pontificem, gratum Superis; qui dirigat Orbem
Conſilijs, orcum ſpoliet, cæleſtia pandat,
Tergemino triplicem moderans diademate mundum.
Res tanta, & merita heroum, quorum vrna mouebat
Nomina, ſuſpenſos animos, & corda Quiritum
Detinuere diu; quonam ſuffragia Cœlum
Verteret, impoſitura caput terris, generiſque
Humani paritura Patrem. Procedere menſes
Incipiunt, magnoque in partu fata laborant.
Nox erat, & feſſas lethæa obliuia gentes
Spargebant placidæ iucundo nectare pacis.
Cum tacitas imitata rotas ſtellantis Olympi
Roma ſilet, nec vox hominum, cantuſue volucrum,
Latratuſue canum, turbat, non vngula equorum,
Stridenteſque vijs currus, ſopor omnia mulcet,
At non Romulea caſtus de gente Sacerdos
Ignotus vulgo, aſt oculis bene notus Olympi,
Munera delibat ſomni; quem veſpere primo
In Vaticani ſecreta ſede ſepulchri
Orantem, ad Diuûm cineres, nox occupat atra:
Marmoreoque latens tumulo, ſtudioſa fefellit
Lumina cuſtodum; dum terræ pronus inhærens
Expugnat precibus Cœlum. Iam lucifer illum
Admirans, iterum ſummo ſpectabat ab ortu:

Cum

Cum tandem feſſis oculis irrepere cæpit
Nox animo paritura diem per viſa ſerenum.
Ecce etenim claram Cœlo deſcendere lucem,
Aut videt, aut vidiſse putat. diſpergere tectum
Fulgura, candidiora diurnæ lampadis auro,
Nec non ingentem venientum audire tumultum.
Accelerant iuuenes, auro per colla vagante
Crinali, pictis armis, longiſque ſariſſis
Turba palatinis ſimilis cuſtodibus, aulæ
Sed proceres ſtellantis erant, qui limine templi
De medio, populos arcent, vndamque fluentem,
Vt deſcenſuro Cœli è conclauibus aureis
Pontifici pandatur iter; nam vulgus inundat
Diuorum innumerum, varium, quàm ſorte, habituque,
Tam vultu, & linguis. Alij candore niuali
Veſte pudicitiæ fulgent, his murice picta
Vitali chlamis ardet, at illis flumina fletus
Ex oculis ſtillata, maris duxere colorem,
Semina perpetui riſus, in fronte corollæ
Diſtinctæ, palmæ in manibus; verùm omnibus vna
Lætitia irradiat vultus, fingitque beatam
Cælicolum Plebem. ſi Plebis nomine dici
Fas Regum populum, quorum vltimus ordine quiſquis
Latiùs Auguſto regnat, cogitque potentes
Plebeium in morem, ſubmittere colla tyrannos.
Sed radiante Crucis labaro, iam pompa propinquat,
Et Vaticanum populis comitantibus intrant
Purpurei Atlantes Orbis, fideique Columnæ,
Chriſtiadumque patres; dominos de more miniſtri
Quiſque ſuos præeunt, pro ſceptris, cædis herilis
Inſtru-

Inſtrumenta, auro, gemmiſque decora gerentes.
Sic ſua Crux Petrum anteuolat, quam ſparſa figurant
Eoi nitida aſtra poli, gladiumque coruſcans
Turbidus Aſtrigerum, Paulo præcedit Orion.
Crux aliter ſtellata præit te gentis Acheæ
Eximium Andrea columen, ſed lancea fulgens
Matthæum decorat, nigro vibrata lacerto
Aethiopis; lapis hunc gemmatus, culter at illum,
Auratuſque calix alium, ſpumante veneno
Nobilitant. Nam cædis amor, meritumque, decuſque
Crebrò cędis habet. Sua poſt inſignia Patres
Ordinibus bini incedunt, in veſte rubentes
Punicea; tunicas licet agni murice tinctas
Inflammat quoque vena ſui pretioſa cruoris:
Pulchrior eſt ab amante datus pro ſanguine ſanguis.
Poſtremus vehitur ſella ſublimis eburna
Pontificum Princeps Chriſtus; prò quantus in ore
Scintillat Deus, & Virgo? colla ardua curuant
Olli, qui portant Orbem, luduſque videtur
Compoſitus Mundi Auctoris, cum pondere, Mundus.
Ex humeris pendet ſtellis trabea aurea, cingit
Tergeminum frontem auguſtam diadema, recondens
Spinarum crudele decus; nam cetera lino
Tecta licèt, claros erumpunt vulnera ſoles.
Quale ſub albenti Phæbi fax nubis amictu
Et latet, & lucet, chriſtallum, ignemque maritat.
Ponunt genua ſolo populi obſequioſa, curule
Quocunque ingreditur ſolium, quoties Crucis, altè
Dextra elata, ſuæ deſignat grande trophæum,
Aſſociant plauſu toties, fremituque frequentes.

Sed

Sed gratantis habent ſenſus, & carmen amantis
Hæ voces; procul hinc gemitus, aut anxia verba
Vulgi, noxarum veniam de more precantis
Mortis in articulo, quæ mors, quæ noxa fatiget
Cæleſtes animas æterna in ſede beatas?
Ventũ erat ad Diuum tumulos,queis corpora tellus
Amborum fidei præconum amplexa ſuperbit,
Non ſecus, ac Lunæ, & Solis fulgoribus Aether.
Gemmato incumbit venerabilis ara ſepulchro,
Deſuper auratis aurata vmbella columnis
Fulta nitet, moles pretio, atque authore ſuperba
VRBANO; qua non vllum ſpecioſius Orbe
Surgit opus, quamuis Capitoli templa manerent,
Aureaque inſani radiarent tecta Neronis.
Aurato cœlo tholus imminet, aſtraque pulſat
Pictus imaginibus Diuùm; quorum obtinet almos
Cœlum animos, Roma exuuias; hoc omnibus vna
Vrbibus illa præit, ſtellantibus æmula regnis.
Pars tumuli à tergo, ſpatioſum extrema theatrum
Format, vbi ſolio ſeſe Regnator olympi
Compoſuit, viridi veſtita ſedilia panno
Purpurei impleuere patres, bis ſena Senatus
Lumina, ſyderei proceres, Orbiſque magiſtri:
Scamna ſecunda tenent, pallentibus indumentis
Tecti paſtores populorum, cætera Cœli
Aula, gradus omnes ſolij, ſubſelliaque ima
Occupat. Vnum oculis ſed circumfuſa tuetur
Numen turba ſuum, vultu omnis pendet ab vno.
Talis erat ſpecies aulæ cæleſtis, & illa
Exemplum Romana ſibi deſumpſit ab aula.

Relligio vna, vnus princeps, amor vnus vtrique:
Sed quod amant illi cernunt, gaudentque potiti,
Quod mortale genus vitæ veſtigat in vmbra,
Pontificiſque ſacra ſub imagine Numen adorat.
Hic poſtquam meritis Regum Pater oſcula plantis
Obſequium excepit Mundi, diuerſa rogantum
Vota recognoſcit, Legati rite ferebant
Cælicolum primi miſſas à veſpere ſero
Reddidit ore preces, & lingua, & nomine magnus
Gregorius: Mundi pars æuo incognita noſtro
Fluctibus Oceani vallata America profundi,
Omnipotens genitor tibi ſupplicat omnibus vndis.
Terra coronati partu pretioſa metalli,
Nobilis argento, lucens & plurima gemmis,
Sed nigras populorum animas, & ferrea gignens
Pectora, ſoliuagas ſine lege, ac Rege cateruas,
Geſtantes hominum vultus, & corda ferarum.
Da, Rex magne, Patrem, qui curas induat Orbis.
Qui miſſo cultore, rudem manſueſcere cogat
Barbariem, atque homines humano viuere ritu,
Scilicet & Cœlo genitos aſſurgere Cœlo.
Vix ea Gregorius: patriæ cum tactus amore
Auguſtinus ait; Si quantum Hiperione flagrat
Africa, diuino tantùm de ſole caleret,
Nulla foret pars terrarum felicior; at nunc
Frons ardet, ſed corda gelant. Dum copia lucis
Fert ori tenebras, nox maior pectora ſeruat,
Et vultus, animi caligine, duplicat vmbras.
Perfidiæ, feritas, fraudum verſantur vbique
Nomina: quot Noma dum celebrant deſerta leones,

Quot

Quot Lybicis errant elephanti ſaltibus, & quot
Arua venenatæ ſerpunt per Maurica mortes.
Vnica tot clades inter, ſolatia Cœlo
Præbebat, roſa ceu medios interſita dumos,
Æthiopum tellus: ſed labe Dioſcorus illam
Inficiens erebi, latio diſiunxit ab Orbe.
Quædam littoreo diſperſa in margine regna
Luſiadum virtute ſubacta, & fortibus armis,
Chriſtiadum leges, Romanaque ſacra frequentant;
Interiora Saraceno ſordentia cultu
Horreſcunt, aut nulla, vt Cafres lege vagantur.
Da, Rex magne, Patrem qui curas induat Orbis.
Qui vitæ fontes nimiùm ſitientibus Afris
Offerat, & Nili ſalientis in aſtra liquores.
Dixerat ille, Aſiæ tum Paſtor nobilis, oris
Cui pretioſa facundia nomen inaurat:
Quattuor è magnis terrarum partibus (inquit)
Pars mole, imperijs, centum pulcherrima regnis,
Te ſupplex Aſia implorat. Cunabula prima
Humano hæc generi, Paradiſi præbet in horto:
Mox hominem pelago, & ſcelerum eluuione ſuorum
Immerſum reparat nece Numinis, in crucis arca
Diluuioque alio; fieri dignata Tonantis
Patria, ferre genus miracula, tecta ſepulcrum.
Quid tamen iſta iuuant? Aſiæ ſi terra, ſalute,
Quam mundo peperit, caret; & pietatis origo,
Chriſtiadumque parens, tot ſedes inclita quondam
Concilijs, tot Diuorum celebrata triumphis,
Nunc Erebi ſquallet nocte, in caligine cæca
Errorum; venerans deliria fœda Mahumæ,

Flendaque Brachmanũ, ridendaq. monſtra, Pagodas.
Nec tot adoratis Aſiæ de Regibus, vnus
Sacra Latina colit. Domino vſque adeo ne rebellant
Sceptra Deo? an regnare ſolo, ſtelliſque negatum eſt?
Regnantum mores vrbes, populique ſequuntur:
Innumeræque ruunt laxata in tartara prædæ.
O ſi quis ſolem tenebris inducat Eois,
Paſtoremque gregi erranti! labentia regna
Sæpe vnus vir reſtituit, quæ perdidit vnus.
Da, Rex Magne, Patrem, qui curas induat Orbis.
Nec Romæ tantùm ſe natum cogitet, ipſam
Quin Aſiæ, atque Orbis faciat Romam eſſe parentem,
Dixerat hic, primi cum vox audita Leonis.
Quatuor è magnis terrarum partibus vna
Mole quidem minor, heroum ſed maxima partu
Europa, ò rerum Genitor, tua Numina poſcit.
Imperij quondam ſedes, cui terminus Orbis,
Seu Macedum, ſeu Romulidum; nunc inclita ſedes
Pontificum Regni mundi trans regna vagantis,
Poſt Orbem ſupereſt cui terminus Orcus, & Aether.
Millenis pietas templis, & vera triumphat
Relligio, faſces Cœlo ſubmittere gaudent,
Et Regum Regi inclinant diademata Reges.
Nuſquam tam ſanctis fundatæ legibus vrbes,
Auſpicijſque bonę florent melioribus artes.
Quæ pacis decora? inuicti quot fulmina Martis?
Qui doctrinarum cultus? monumenta virorum
Quantorum? in chartis longum victura per æuum,
Aemula marmoreis, qui iam cecidere, coloſſis.
Felix Europe, felix! ſi non bona tanta

Fędarent gemina ex erebo ſurialia monſtra,
Hæreſis, & bellum. Lethalibus illa venenis
Inficit Arctoas gentes, hoc arma potentum
Æmula regnorum cognata in viſcera ducit.
Da, Rex magne, Patrem, qui curas induat Orbis.
Qui notæ Arctoos populos moderamine virgæ
Ad Latium reuocet dilectus Paſtor ouile:
Qui belli furias, veros conuertat in hoſtes.
Et Venetum congreſſum Aſiæ cum Rege feroci
Viribus haud æquis, animo maiore Leonem,
Armorum iuuet auxilijs, Aſiæque tyrannis
Perpetuam obtrudat felici clade ſalutem.
Hæc Leo: tum Regum Princeps ſic ore profatur.
Poſcitis æqua Patres pro mundo munera, nobis
Quæ dare iam pridem mens ardet; ſed tenor aulæ
Seruandus cæleſtis erat, quo munera votis,
Atque precum conſtant auro reſcripta ſalutis,
Pontificem dedimus, qualem vix aurea iactent
Secula Chriſtiadum; qui relligionis amore
Gregorios, pietate Pios, & fortibus armis
Æquat, Alexandros, animi inſuperabilis ære
Tergemino, auguſtos, & pectore, & ore Leones.
Pontificum florens cunctorum laudibus vnus
Seruet ALEXANDER nutantem Septimus Orbem.
Finierat: vocemque Tonantis fata ſequuntur.
Dat ſignum tonitru Cœlum, tormenta boatu,
Templa virùm, fidiumque ſonis, clamoribus Aether:
Seruet ALEXANDER nutantem Septimus orbem.
Hàc diuina tenus luſtrauit viſa Sacerdos.
Nam ſonitu excuſſus tanto de pectore ſomnus,

Et cum ſomno aulæ fugit ſtellantis imago.
Protinus ergo oculos pandens, effulgere veram
Cernit vbique diem; ſed adhuc ne ſomnia vana
Credat, ALEXANDRI nomen ſonat auribus, io
Viuat ALEXANDER, gratantis murmura Romæ,
Voce viri, clangore tubæ, tormenta fragore.
Egreſſus tumulo, miracula cernit, & audit,
Quæ viſis fecere fidem; quippe arduus inter
Plaudentum fremitus, exultantumque Quiritum,
Lux patriæ, decus Italiæ, ſpes Vrbis, & Orbis
Ibat ALEXANDER; nec tam ceruice ferentum,
Quam fama, & factis, & laudibus altior ibat.
Quantus in ore Deus, cui dextra Vicaria, nutu
Aſtra ſalutari pandit? quàm mitia vibrat
Fulgura maieſtas? nullo ſe Principe tantum
Felix Roma tulit, nec ſpes porrexit in orbem
Latiùs. Ingenij nam quale vigentis acumen,
Viuida vis mentis? doctrinæ in pectore quanti
Theſauri? quàm dulce vehens facundia nectar
Eloquij? & locuples vſu prudentia rerum,
Iuſtitiæque rigor patrio confuſus amori,
Et pudor, & pietas, & fama pediſſequa laudum?
Nomen ALEXANDRI toto Germania Rheno
Virtutis CHISIÆ Germania grande theatrum
Reddit, & Oceani geminandum porrigit vndis.
Proxima Barbarico quaſſata Polonia martè,
Nomine in auguſto reſpirat, & auſpice tanto
Prima ſpei affulget nocti ſcintilla Britannæ.
Gallia diſcordi plauſu ſociatur Ibero,
Belgica quem tellus, quem dura Succia tollit

Flucti-

Fluctibus in medijs? venerandæ ad mœnia Romæ
Quæ Regum fratres animo dimiſit amanti:
Auguror hos eadem nunc rurſus ad oſcula mittet
Romano libanda Patri, Regumque Parenti.
Nam Latijs inimica ſacris (quis credat) in vnum
Agmina conſpirant votis, ò ſacra potentis
Vis veri! populis paſtorem hunc ipſa popoſcit
Perfidia, & quamuis extremos ſentiat inde
Occaſus inſtare ſibi, tamen vrna, roguſque
Hoc authore placent; vitalia vulnera credit,
Quæ pietas feret ipſa manu paſtoris amantis.
At quo Te cantu, gentilia ad aſtra feremus
Nos Itali, ò Vaticani noua gloria! per Te
Quandoquidem ſpecioſa etiam nunc gentibus illis
Italia eſt, patriæque Senæ; dum Cimbrica Tibrim
Vrſa colit, Gentis geminatum ſydus adorans,
Et Latios Iſtro reuireſcere gaudet honores.
Sola ſui cladem CHISIO à fulgore nitoris
Thracia luna pauet; contra Regina profundi
Hadriaci exultat confeſtim hilarata beato
Gurgite inundantum radiorum, & ſtirpe feraci
Pontificum, geſtit Regem ſupplere ſenatum.
O nimium dilecte polo, & venerabilis Orbi,
Italiæ ſol, Europæ cynoſura labantis
Ingredere, & ſtudijs famulantibus vtere mundi:
Par caput Orbis habet, Tu dignũ hac mente theatrũ.
Cladibus afflictas tantis attollere gentes
Tu poteris, vel nulla ferat fortuna ſalutem.
Perge, age ſpes magnas, factis maioribus imple.
Quidquid agis, iam Roma ſtupet, iam Mundus adorat,

Et centum famæ ora ſonant. Amplecteris Orbem
Pro Patria, ciues populos, Regeſque propinquos,
Quiſquis, & eximiæ clareſcit fulgure laudis
Progeniem CHISIAM cenſes. Eſt gloria quæſtus
Aulæ, dona odium, pretijs licitamur honores
Virtutum, ſupplet cenſum, genus, omnia virtus.
Gymnaſium vitæ mors eſt, tacitumque licæum
Vrna oculis aperit Libitinæ ſponte tribunal
Inculpatus adis, at letho iudice vitæ
Nil mutaſſe velis. Terrarum ò Numina quondam
Pontifices Diui, nunc aurea lumina Cæli,
Dicite: regnorum dum tractauiſtis habenas,
Num virtus alium præſtabat veſtra tenorem?
Parua loquor; ſi mundi iterum regeretis habenas,
Nunc virtus alium præſtaret veſtra tenorem.
Laudis ALEXANDER nam priſca exempla ſecutus,
Nunc noua componit, ſeclis imitanda futuris.

FINIS.

Digitized by Google

ARCVS PALATINVS

A B

ODOARDO

PARMÆ, ET PLACENTIÆ

D V C E

INNOCENTIO X.

P. M.

E X C I T A T V S.

Digitized by Google

Illuſtriſs.^mo. & Excellentiſs.^mo Principi

D. IOANNI BAPTISTÆ PAMPHILIO DVCI CARPINETI

S. D. N. INNOCENTII X. Pronepoti.

GVLIELMVS DONDINVS FEL.

TVO nomine, tamquam gemma paruula quidem, ſed clariſsima, iure ſuo inſignitum carmen hoc prodire geſtit in lucem, Princeps Excellentiſsime. Cùm enim molitionem contineat arcus ornatiſſimi, Innocentij X. Pontificis gloriæ, ab Odoar-

di

di Farneſi Ducis, obſequioſa magnificentia dedicati, perlibenter ad illius Principis patrocinium conuolat, in quo perinde, ac in authore Sereniſſimo partem Aldobrandini ſanguinis, veneratur. Qui materno quidem genere Clementem VIII. Aldobrandinum, Gregorium XV. Ludouiſium Pontifices, adorata mortalibus nomina, contingis: paterno verò, vnum pro cunctis, ſyderibus Solem, Innocentium X. feliciſsimè imperantem Pontificem regnatricis prudentiæ fama, omnium ſæculorum linguas, & calamos fatigantem. Vix vllius infantiæ teneritudinem tàm auguſta excepere primordia, quibus virtutem innumeris addiſcere potes à proauis, & cum virtute fortunam quoque, tribus à Summis Præſidibus generis humani. Neque verò dum per vrbem incedis inter cognatorum Pontificum, & magni præſertim Patrui magnificentiæ veſtigia, tantum te excitant Lateranenſes illæ, Vaticanæque Baſilicæ ſumptuoſiſsimè inſtauratæ, & decorata cum Capitolio fora, ædibus, templis, fontibus, obeliſcis, quantum ſacra iſta indoles in venas transfuſa, educatrix nobiliſsimi ſanguinis, & virtutis. Hinc illa ſummi ingenij, & virilis animi poenè in infantia documenta, quorum partim nos teſtes ſumus, qui te in Romano Collegio nondum quinquennem, ſumma venuſtate

carmina recitantem audiuimus, cùm Rhetoricam Claſſem humaniſsimè inuiſeres, & inſcriptis Tuo nomini Philoſophiæ theſibus præſideres. Equidem dum recordor mirabilem in tot euentibus prouidentiæ ludum, quo ad propagandam regnatricem familiam, Germen tam amabile donatum videris è cœlo, ſuccurrit meritò augurari, Pamphiliæ gentis claritudinem terminos non habituram. Nàm, & immortalia ſunt dona cœleſtia, & meretur hoc quoque humanæ immortalitatis præmium optimi Pontificis virtus. Illa religio, & paſtoralis cura indefeſſæ, in reddendo per ſtatos, ſolemneſq. dies honore Numini, exemplo populis, in vigilanti Chriſtianæ rei cuſtodia, detectis labore magno pullulantium hæreſum fibris, acciſiſq. in paterno humani generis amplexu, quod luſtrali criminum anno, vberibus Pontificiæ charitatis admouit; Illa ſapientia, quæ conſortem boni conſilij, imperij felicitatem trahit, cum veneratione Regum, & populorum, admiranda, in moliendis rerum conuerſionibus magnis, præter expectationem hominum, non extra approbationem, & plauſum; Illa iuſtitia, qua tam ſuprema capita, quam minora coercens, non in ſcelera modò, ſed in ipſos vindices vindicat, & multiplicato paucorum pœna terrore

mo-

omnium, de ſecuritate publicà, amorem colligit; Illa Pontificij animi altitudo, neque externæ potentiæ terroribus, neque domeſticis neceſſitudinibus obnoxia, inſtar legis, ſine gratia, ſine odio perpetuò rationis ſequax, & proximorum loco adoptans, atq. honoribus augens, quidquid in Orbe terrarum ſapientia, eminet, ac ſanctitate. Merentur, inquam, hæ, aliæq. auguſtiſsimi Principis laudes, vt non tantum in marmoreis monumentis, aut aheneo, quod S. P. Q. R. in Capitolio poſuit, ſimulacro, quantum inanimata oris, ac virtutum effigie, in Te, Tuiſque poſteris, æternum viuat. Vale.

PRO-

PROLVSIO.

CVm triumphali nobiliſſimæ pompæ, fauente cælo, plaudentibus terris, per ora populorum traductæ, quando INNOCENTIVS X. ad capeſſenda primordia regni, in Lateranas ædes inuectus eſt, nihil aliud abeſſe ſit viſum, quàm Farneſiani arcus perfecta moles: id ipſum maiori Pontificis gloriæ, & operis maieſtati vertere, poetico figmento conamur; vt ab omni parte auguſtiſſima pompa, & ſuis, & accerſitis illuſtrata fulgoribus eniteſcat.

CARMEN

INcipe tentatos nequidquam fraudibus arcus
Farneſios, & Pamphiliæ miracula pompæ
Calliope maiore tuba, qua dicitur olim
Aeneas, genitrice Dea duce, fata ſecutus,
Iunone ſcopulos fruſtra opponente, fretumque,
Atque alios Latij ſcopulos, fluctuſque cruentos,
Fatalis regnum metam tenuiſſe laboris.
Hic quoque par operum moles, coniurat Auernus
Et furiæ, Michael contra, & pennata Iuuentus.
Hic & damna iuuant, & proſunt cæca nocendo
Bella, nec ignauo veniunt ex hoſte triumphi.
Quà centum pario de marmore, fulta columnis,
Splendida luce Tagi, & flauo pretioſa metallo,
Surgebant aſtris, tecta inuidioſa Neronis:
Porticibus nunc ſemirutis, exangue cadauer
Moles ruinarum ingenti, poſt fata minatur;
Viuit & in ſparſis maieſtas horrida membris.
Deſuper immenſis tellus aggeſta ruinis,
Farneſios flores, cladis ſolatia nutrit.
Intus Apollineis ſquallent imperuia flammis
Antra, cauique ſpecus; & non tractabile tectum.
Regna voluptatis quondam, dum vita manebat,
Supplicij ſedem ſtatuerunt fata Neroni.
Fama eſt, extincto cum ſole, ſilentia terras
Fuſca tenent, auræque tacent, & Tybridis vnda:
Auditos illinc gemitus, ſtrepituſque catenarum
Horrendos, ſonitum plagarum, & murmura queſtus.

Dum

Dum Nero raptatus tectis ingentibus errat,
Eumenidas fugiens, vt quondam, & verbera matris,
Mutatæ in furiam matris; quæ in lumina vibrans
Stridentes multo angue comas, reſonanſq; flagello
Tartareo, ingrati ventrem execrabile monſtri
Exprobrat hoſpitium, & crudelia vulnera nato,
Auertenti oculos, conanti & plurima fruſtrà.
At poſtquam ingentem lunatis frontibus arcum
Iuſſit adorati nomen ſublime Parentis
Tollere vicinis PRINCEPS FARNESIVS aſtris,
Deſertæ ſpelæa domus, vacuoſque penates
Artificum impleuere manus, & verbere crudo
Attoniti tremuere lares; dum a ſtirpe reuulſas
Pars tornare rudes ſyluas, pars frangere cedros,
Atque in marmoreas ſcalpro mutare columnas,
Multo auro ſaturante trabes; alijque laborant
Arte coloratis telas animare figuris,
Aut Polycletæo vitas infundere celo.
Tunc ſonitu legio furiarum exterrita tanto,
Manibus antra fuga quærit propiora: Neronem
Pone trahens, mirantem indignantemq; quòd auſi
Antiquis eſſent ſe ſe depellere regnis.
Vt verò ſenſit gaudentem nomine claro
Pontificis magni molem, & decora alta parari,
Inuidia acceſſit furijs, vritque dolentem, *vrinque*
Atque animis rediere ſuæ regalibus iræ.
Heu miſero (exclamat) ſeu reddunt munera lucis,
Siue adimunt, ſemper contraria fata Neroni!
Sic vbi gemmata quondam trabeatus in aula
Iura dabam populis, & regum colla premebam;

Mancipium nunc vile ſtygis, de Cæſare tanto,
Hìc aliena miſer decora, auſpiciumque videbo
PAMPHILII REGNI, ſimulacra gerentia vultus
Virtutum, & ſacros meritis ingentibus arcus?
Reddite me furiæ, ſceleratæ reddite nocti.
Hæc olim luxu ſedes famoſa nefando,
Criminibus regnata meis, tot cœdibus vna
Inſontum polluta Ducum, tot fida venenorum
Arbitra, vbi ſcelera admiſi, quæ manibus ipſis
Et furijs audire pudor; ſpectacula priſcis
Tam diuerſa feret, tam inſueta? nec ante dehiſcens
Creſcentem ſubito molem ſorbebit hiatu?
Infelix Cæſar nam quę ad tormenta reſeruor?
Principis inuiſi titulos intra hæc mea regna,
Iuſtitiæ vt numen, fidei, pietatis adorem,
Impius, iniuſtus, ferus, execrabilis, excors?
Reddite me furiæ, ſceleratæ reddite nocti.
Quamquam o! ſi veteres iræque,animiq; manerent,
Non hæc, non ſuperis tentare impune liceret,
Stante chao, & furijs immane frementibus; Orci
Dedecus eſt ingens, PAMPHILIA gloria, crimen
Eumenidum, haud ſolum lædunt benefacta Nero-
Sed virtus meriti pompis decorata triumphi (nem.
Tortores torquet manes, furiaſque flagellat.
Dum Vaticani regimen cæleſte tenentem (rat,
PAMPHILIVM, Regum, & populorũ plauſus ado-
Virtuti gaudent ipſam ſubmittere faſces
Fortunam, & meritis tandem deuoluere regna,
Quantus amor ſolidæ laudis generoſa ſubibit
Pectora, quam valido peruellet gloria thyrſo?

Occi-

Occidimns, veſtri fuit alta potentia regni
Eumenides, nullos poſthac ſperate Nerones.
Dixerat. Et Seneca eloquium didiciſſe magiſtro
Profuit; incenſos dictis furor, iraque manes
Præcipitat, iuuat auguſtas euertere moles,
Et prohibere nefas Erebi, ſtygioſque dolores.
Ergo ſigna canit ferali turbida cornu
Tyſiphone, tremefacta ſono vicina citauit
Vnda fugam, medioque Tybris caput abdidit amne.
Partibus exciti propioribus, vndique inundant
(Concilium horrendũ) proceres, implentq; cauernas
Immenſas, quibus effigies humana, nefandis
Fæda modis, hirti nutant pro crinibus hydri,
Lumina ſtant flamma, fumus de naribus vndat,
Cornua fronte rigent, exhalant ora Mephitim,
At pice perfuſos humeros, ſetoſaque nudi
Pectora, remigia alarum nigra, lurida quaſſant,
Quales buſta ſuper, ſtryx horrida concutit alas:
Deſinit in tortum furialis cauda draconem.
Illi vbi Tartarei cauſſam didicere tumultus
Bella fremunt denſi; Pars cælum inuoluere nimbis
Apparat, & ſubita molem exturbare procella:
Pars nigra ſulphureæ fert ſecum pabula flammæ,
Ingratam tantis lucem ſparſura triumphis:
Aſt alij telis, ſæuiſque ſecuribus audent
Luce palam turbare acies, nec parcere cædi.
Et iam conſenſu vnanimes in bella ruebant;
Iam nimbis, pluuijſque atris, præludia pugnæ
Aerei dederant genij, Romæque futurus
Lugubris fuit ille dies, cum proſilit vnus

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

In medios, paruus membrorum mole, ſed ingens
Conſilijs, aſtuque, & fraudibus alter Vlyſſes
Cocyti: Qua ſpe furitis, quo tenditis (inquit)?
Tartarei martes? pompam delere paratis
Luce palam, his armis, & aperto inuadere bello
Romulidas? nec quanta inſtent diſcrimina cæci
Cernitis? En cælum in partes ruet omnibus aſtris,
Fulminibuſque ſuis cadet, agminibuſque deorum
Romæ bella geret: an magnos arma feretis
Cælicolas contra? veteris placet alea belli?
Nec ſubit, iratam quantus conſurgat in haſtam
Fulmineus Michael, horrendùmque intonet armis?
Credite, poſt clades illas, ſpes vna relicta eſt
Ad palmas erebo, per belli furta, per aſtus.
Ergo audite, meæ quæ ſtet ſententia menti.
Plura quidem nigro ſtabulantur monſtra ſub orco,
Morborum ante alios præſes, geniuſque ſoporis,
Deſidiæque lues, qua non deformior vlla eſt.
Hos placet artificum medijs immittere turbis,
Bella gerent taciti, paucis pugnantibus, omnes
Vincemus, Dolus an virtus, quis in hoſte requirat?
Dixerat, & plauſu ſociorum exceptus ouantum
Dux placuit facti, fuerat qui ſordidus auctor.
Nec mora: Tartarei iuſſu accerſuntur Vlyſſis,
Cognatæ ex erebo peſtes, morbuſque, ſoporque,
Ille infirma regens comiti veſtigia ſomno
Nixus, & albenti portans ſua funera vultu;
At morbo ſomnus nequidquam alatus adhęret,
Namque ſua titubans caligat nocte; viciſſim
Sic alter greſſus, & lumina ſufficit alter.

Se-

Seriùs aduenit Dæmon, cui marcida luxu
Otia, deſidiæque, & languida inertia cordi,
Et non ille quidem ſua per veſtigia, curſum
Emenſus; neque enim longis tam vaſta locorum
Interualla, piger potuiſſet vincere ſæclis.
Sed ſuccollarunt, tanta eſt ignauia monſtri,
Mutatis vicibus, bis deni noctis alumni. (obeſi
Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui ventris
Pinguis adeps verrebat humum, fœdiſſima roſtri
Ingluuies, vncæque manus, ceruice capilli
Poſteriore fluunt rari per tergora, numquam
Erigiturque ſolo, aut veſtigat lumine cælum,
Semper humum pronis oculis, & pectore adorans.
Conſimile huic animal monſtro, pars nobilis orbis
Occidui, in latis nutrit Braſilia campis,
Pigritiam dixere, dies ter quinque laborant
Fuſtibus indigenæ, & ſaxorum vrgere procella,
Poſt medium tandem menſem, tam lenta mouetur,
Compoſito vt pariter greſſu teſtudo volaret.
Et iam per medias bacchantur monſtra cateruas.
Ille ſoporifero ſtillandam in lumina ramo
Fert noctem, hic anima morbos inſpirat in artus,
Imbelli languore domans ſtudium acre laborum.
Nec minùs ignauo torpentia fundit ab ore
Otia ſegnities, pigraque aſpergine telas
Inficit, & tabulas; torpent (mirabile dictu)
Tractantum ſubitò dextræ, populante vigorem
Membrorum,& lento penetrante in viſcera monſtro.
Ergo opera interrupta iacent, ingloria mærent
Ligna, rudeſque trabes, & ſpe fraudata colorum

Stamina, ſemianimeſque exangui fulgure telæ.
Et forſan longum tenuiſſent irrita vota
Romulidum, & ſperata diu ſpectacula pompæ
Incaſſum, flaui niſi cuſtos Tybridis ales
Senſiſſet fraudum mala tentamenta nocentum.
Tu primus ſonitum vicino à gurgite ſentis,
Et lymphis infuſe tuis, dum occultus oberras
Antra propinqua, vides Erebo properantia monſtra,
Cælicolumque mones ductorem. Forte ſuorum
Concilium Michael, quà ſidera Vaticano
Feſſa tholo, incumbunt, Regni de rebus habebat,
Vrgebatque moras operum. Molimina fraudum
Vt ſenſit, tacitumque nefas, tentamur iniquis
Scilicet inſidijs (inquit) belloque minores
Caſtra doloſa mouent; ſed ſaxo ſentiat Orcus
Haud minus ingenium, quàm tela vigere, manuſque
Sidereis ducibus, ludemus & artibus artes.
Vos modò præcipites ſpem tanti vrgete triumphi.
Tu qui præſidio Capitoli immobile culmen
Fide, tegis, finem ſudato impone labori.
Mons monti ſuper impoſitus ſuccedat Olympo,
Arduus abietibus pictis, altiſque columnis.
Stent laudes veræ ſimulato in marmore; facta
Teſtentur tacito vocales murmure telæ.
Nec minus immenſam pennis inuecta per vrbem
Cętera feſtinet legio. Tu martis equeſtris
Caſtra moue ductor, chalybum veſtita metallis:
Tu capitolinos proceres, vrbiſque ſenatum
Romanis ſuccinge togis, & diuite amictu
Gaudeat omnis honos, primæuo flore virentem

Aetatis

Ætatis pubem, iuueniles indue cultus.
Argentum, atque aurum, pretioſaq; fulgura gemmis.
Nec non aulæis vireant, & fronde domorum
Velatæ facies, pictęque tapetibus ædes.
Sed quibus Aonides, & Apollinis otia curæ,
Mecum docta manus ſuperum, iuſſa inferat arma.
Incluſas tectis furias, impune Neronis
Ne prohibete, furant; fatale ſuperuenit, vnde
Speratur minùs exitium; haud mouiſſe iuuabit
Tantum operum, ſurget tot caſibus altior arcus
Gloria, maior erit tentati fama triumphi.
Illi alacres parent dictis, ac iuſſa faceſſunt.
Iamque dies aderat properata fauentibus aſtris
Cum Michael ſignum cælo dedit, æthera purgans
Nubibus vmbratum ſtygijs, riſuque ſerenum
Imperat ire diem; vt liquidi de margine cæli
Pamphilios ſuperis fas ſit ſpectare triumphos.
Illicet vndantum populorum examina feruent
Plena vijs, Vaticano qua limine pompa
Vrbem per mediam, Lateranas tendit in ædes.
Quantus io fremitus plauſuſque, & grata Quiritum
Murmura? dum turmis præeuntibus, ordine longo
Ingreditur mundi Rector, ſolaque triumphum
Maieſtate facit; quacumque ardente refulgens
Lectica inuehitur, ſepteno culmine Roma
Nutat in obſequium, pulſataque tecta reſultant
Pamphilium nomen, plaudente remurmurat vnda
Nomen adoratum, ripiſque loquacibus amnis.
Aſt vbi Tarpeij linquuntur culmina montis
Et capitolini decliuis ſemita dorſi.

Iam

Digitized by Google

Iam teritur, ſtygias aſtat propiore tumultu
Iam magis, atque magis, ſonus illætabilis aures,
Corda rigent miſeris, & mens præſaga malorum.
Ergo tenebroſi ſpatioſo carcere tecti
Omnes conduntur trepidi, denſique premunt ſe
Tartarei fratres, furiæque trementibus Hydris.
Ac veluti Corui, quos cælo exegit aperto
Tempeſtatis hyems, metuentes verbera ſæuæ
Grandinis, aut maiora Aquilarum roſtra trementes.
Et donec lento trahitur longa agmine pompa,
Cura, pudorq; coquit: pudet heu? pudet irrita fraudũ
Tentamenta, nec inſidias valuiſſe nec artes:
Sed ſupereſſe, fremunt, tantæ ſolatia cladis.
Si non auguſtos licuit prohibere triumphos,
At carpſiſſe datum eſt. Molem ſuſpendimus, auſus
Immanes Regum. Iacet, æternumque iacebit,
Quantum Erebi vires, iræque animique valebunt,
Æquandus ſtellis arcus Farneſius, ingens
Momentum pompæ, appendix pretioſa triumphi.
Talia dum ſecum veſana ſuperbia muſſat,
Nondum fracta malis: lectica auguſta ſubibat
Romani ſpatia ampla fori, & Farneſia ſpectans
Tecta pater, (fraudes illum ſenſiſſe putares
Cocyti) exeruit cæleſtis fulmina dextræ,
Elataque manu, cui tantum iuris, in ipſa
Sidera conceſſum, geſtuque Acheronta domare,
Signa triumphalis crucis imprimit. Icta repentè
Fulmine ſecreto, ſcelerata cohors Phlegetontis,
Voluitur in caput, immanique effuſa ruina,
Præcipitatque, ruitque ſopor, morbus, furiæque,
Prigri-

Pigritiæque lues iam non pigra, iam volat alas
Dat metus, & facilis tardis quoque curſus Auerni.
Aurea deiectis reſpirant ſidera monſtris,
Lætitiamque ſonant curſu reuoluta canoro.
Sic illos eadem tentato Aquilone fugatos
Sidera riſiſtis, cælo dare terga ſequaci.
Nec mora: ſidereas in libera tecta phalanges
Victor agit Michael, Erebique reponere damna
Imperat artificum manus interrupta retractans,
Succeſſus faciles miratur, & arboris inſtar
Surgere opus tacitum, fallentibus incrementis,
Ante oculos, interque manus. Sæpe accidit, vt dum
Accelerant, (fors illa fuit, luſuſue iuuentæ
Ætheriæ) caderent calami, aut pigmenta colorum
Fuſa ſuper tabulas, vitioque animante figuram,
Pulchrior emicuit, perfectaque fulſit imago.
Nec ſemel id, victam doctis erroribus artem
Terq; quaterq; ſtupent; ignarum vulgus adorat
Artificem caſum, fuerat cæleſtis Apelles.
Ergo breui mixtum ſtellis radiantibus arcum
Par conferre iubar, ſuperi vidiſtis ouantes
Gaudia nos etiam latè Romana nouari
Vidimus, & feſtos non vna luce triumphos:
Vndantes campos, latijque fluentia denſis
Plana fori populis, ad molem, quam procul auro
Ardentem, quamquam excelſis aſſueta trophæis
Mirantur, fixoque inhiant capitolia viſu.
Proh qualis prima pandit ſe fronte ſuperbam
Maieſtas operis? celatis nixa columnis,
Clara per effigies Regum, diadematis inſtar,

Iride cincta caput, ſtant dorſo lilia, culmis
Gemmatis, mediaque argentea ſede columba
Occupat auguſtis ingentem clauibus orbem,
Ora virent oleis, & ſpargunt omine pacem.
Nec minùs extrema funduntur mole tiaræ
Paciferæ, & vittæ, tum pocula numine viuo
Exaturanda, ſacro quæ principe digna trophæa.
Frontem auguſtam operis, maieſtatemq; verendam
Mitis vbique decor diffuſus, amabilis auri
Delicijs mulcet pretioſis, quas nitor auget
Argenti, & calami charites, venereſque colorum
Virtutes ipſæ ſpirant, greſſumque minantur
Marmoreæ, vſq; adeò dū opus accelerāt, ſimulacris
Indulſere ſuis, germanaque lumina vibrant.
Hic caput auguſtum cognata ad ſidera tollit
Religio, radiata oculos, & pectus, & ora
Numine, pro cœlo reſpirans numinis auram.
Lumina ſyderibus figit veſtigia terris,
Quas regit exemplo, dum factis prouocat orbem
Illius ad cultum, cui ſceptra vicaria geſtat.
Templa noua exurgunt, vetera inſtaurantur honori
Cœlicolum, nitidis collucent marmora gemmis,
Perlita imaginibus Diuum, mimoque colorum.
Hæc eadem gentes vtroque à Sole profectas
Excipiet gremio, Vaticanique recluſam
Per valuam, florem populorum inducet Olympo.
Si qua venenatis errorum cincta colubris
Eriget hidra caput, dabit vno colla ſub ictu
Pontificis calamo, ceu fulmine ſecta triſulco.
Proxima ſed rigidas æquato examine lances
Iuſti-

Iuſtitia oſtentans lœua, dextraque coruſcans
Mucronem, inſontes firmat, terretque nocentes.
Hac regnante, doli, fraudes, & mille malorum
Nomina, non audent latio ſe credere cœlo.
Aut ſi qua emergunt, ingenti clade piantur,
Pœna ſtatim ſequitur culpam, prohibetque vagari
Vllum impune nefas; meliùs quàm viribus vrbes
Iure tegit, Regni ſunt propugnacula leges,
Et pax alma viget. Nocturnus tela viator
Haud trepidat, fretus pro milite Principis ira.
Sic dum paucorum exitium fit publica cura,
Vindicis arma placent, & felix terror amatur.
Nec procul hinc gemino ſurgit Prudentia vultu.
Altera in Occaſum frons, altera tendit in Ortum,
Cum lapſis ventura videns. Nam ſęcula ſęclum
Priſca, dieſque diem docet, acta prioribus annis
Dum relegit, curſum venientis vt auguret æui.
Nulla latent vigiles occulos abſcondita rerum,
Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.
Mœandros aulæ varios, & lubrica fata
Diſpenſans, ſibi regna facit mortalia ludum.
Quin etiam faſtus, & colla minacia calcat
Fortunæ, fractumque rotæ reuolubilis orbem
In ſolium ſibi componit, pennaſque fugaci
Conuellens monſtro, inſtabilem conſiſtere cogit,
Perfidiamque fide, & bellum mutare quiete
Omnes Pontifici inclinat Prudentia Diuos.
Hac maior ſolio, maior quoque Regibus, ampla
Maieſtate ſedet mentis, Cœloque ſecundus;
Pro clauo eſt, clauum Pętri ratis, illa regenti.

Vltima

AVSTRIACVM IMPERIVM RELIGIONE PARTVM.

Digitized by Google

EMINEN.^{MO} ET REVER.^{MO} PRINCIPI

MARCO ANTONIO CARD. FRANCIOTTO.

GVLIELMVS DONDINVS Felicitatem.

CARMEN, quo congeſta diuinitus in Auſtriacam religionem ſceptra, triumphi, & inaudita prioribus ſeculis felicitate tredecim Cæſarum diademata decantantur, à ſororis tuæ filio, in aula Collegij Romani maxima, Te audiente dictum, alio inſuper nomine iſtius religioſiſsimæ purpuræ patrocinium vindicat ſibi Princeps Eminentiſsime. Cum enim illorum ſit, virtutum maximè

ſauere laudibus, qui earum pretia poſſidendo optimè intelligunt, haud grauatè, vt opinor, datum in theatro plauſum Auſtriacæ pietati renouabis, cum pietatem tuam iuſtitiæ incorruptæ coniunctam, in ampliſsimis muneribus, Romæ, Patriæ, Flaminiæ populis repræſentaueris. Nimirum, quemadmodum veneratione Numinis aſſidua, & animi cultu, quod ſacrificij genus Deo acceptiſſimum eſt, ſua iura ſuperis reddis; ita neminem eſſe arbitror, qui vel perleue detrimentum Tibi referre poſſit acceptum, plurimos, qui beneficia; tàm accuratè paria facis cum genere humano. Mentem quippe habes, qualem optabat Plato Principibus, auream cęli capacem, & in mortalium commoda profuſiſſimam. Quibus ſanè virtutibus, religione, ac iuſtitia, geminis tamquam polis cęlum, omnis Eccleſiaſtici Principis vita circum voluitur. Vale.

PRO-

PROLVSIO.

CVm ſuperioribus diebus, Eminentiſs. PP. Auguſtiſſimæ Euchariſtiæ ſupplicationibus, hymniſque litatum ſit, placet Muſarum quoq; carmina conſecrare. Narrabimus glorioſiſſimum RODVLPHI, ox Hauſpurgenſi Comite, Romani Imperatoris obſequium; quod inaudita alijs familijs felicitate Deus, prole duodecim Cæſarum, & Hiſpaniarum Monarchia, Solis Orientis, Occidentiſque diadematis, coronauit.

CARMEN.

DIſcite Regnorum Domini, ſub fruge latenti
Cælicolum Regi ſubmittere colla, Rodulpho
Et ſoboli, modico pro cultu grande redonat
Terrarum Imperium. Pietas ſtat fænore tanto
Ancillata ſemel ſuperis, vnumque rependit
Tot Deus, obſequium ſceptris; breuis hora laboris
Promerita eſt, quantum vix ingens machina rerum
Finiat, aut cæli limes, vel terminus æui.
Conditor Auſtriaci Regni Rodulphus, opacos
Luſtrabat ſaltus, frondentia tecta ferarum,
Venatu penetrans radijs imperuia ſolis.
Vt Patriæ ſecreta, feræ, patuiſſe virentis,
Syluarumque fidem, & violata ſilentia, cernunt,
Corripuere fuga campos: nec ſegniùs inſtant
Latratu, curſuque canes, clamore cateruæ.
Exultat Rodulphus equo, nec vulgus in omne
Nobile conſumit robur, tantùm optima ceruix
In vulnus regale placet; ſeu dentibus apri,
Vnguibus horrenteſue vrſi, ceruique tumentes
Cornibus arboreis; hos curſu prendere, at illos
Dignatur iaculis, ſpecioſaque funera donat:
Vix haſta tangit damas parcente minores.
Ecce autem medio elapſus latrante tumultu
Vmbrorum, præſtans ingenti corpore ceruus
Grande decus frontis, ramoſaque cornua iactans,
Præcipitat ſaltu, & campis ſe credit apricis.
Euolat immiſſis ardens Rodulphus habenis,

Incu-

Incubuitque fugæ; venantum caſtra ſequuntur
Longo interuallo clamoſa, feramque Dùcemque
Vltimus extremo iam cælat in æquore puluis.
Illam per campos fugientem, & aperta viarum,
Præcipites modò per valles, virgultaque latè
Sternentem ſonitu vaſto, aut obiecta natatu
Flumina, vel ripas iungentem ſaltibus altas,
(Vrget quippe metus ſtimulo violentior omni)
Victor agit Princeps, & voce, haſtaque fatigat:
Tantus amor prædæ, & ſilueſtris gloria Martis.
Iamque pererratis longinquæ finibus oræ,
Qua Rhenus Meno ſociat ſe gurgite, laſſus
Infelix quadrupes, ſenſim conuertit in orbem
Alipedem curſum, & natura vrgente reuiſit
Dulce ſolum patriæ, notis moriturus in aruis.
Hìc inſperatam miſero fortuna ſalutem
Obtulit. Incluſum niuea ſub fruge Tonantem
Pauperis ad tuguri culmen, cænoſa ſacerdos
Per loca, præſidium morienti grande ferebat
In lethum, & vitæ libamen dulce futuræ:
Hàc tulit errantem ceruum fuga; maior an illum
Vis rapuit? ſiquidem inclinata fronte vereri
Numen, opemque ſono viſus rogitare gementi eſt.
At vix triticea ſolem ſub nube latentem
Corde magis, quam oculis pietas generoſa Rodulphi
Hauſerat, è dorſo ſe cernua quadrupedantis
Fundit humo ſupplex, è prædatore ferarum
Præda Dei, laqueiſque ſui captiuus amoris.
Tum verò oblitus ſtudiorum, actique laboris,
Securuſque feræ fugientis, inhæret in vno

Obtutu, taleſque trahit de pectore voces.
Siccine Cælicolum Princeps inglorius ibas?
Nec te purpureæ Regum ſtipare cateruæ
Approperant? ingrate Deum ſic deſeris Orbis?
Et ſolus graditur, qui condidit omnia ſolus?
Ille quidem ſibi ſufficiens, & paupere cultu
More ſuo gaudens; ſed linquant ſydera Solem
Lux ſua non linquet. Maieſtas ampla Tonantis
Sola facit populum; quæ dum ſeſe omnia complet,
Eſt comes ipſa ſibi; numeri bene damna rependens
Immenſæ ſobolis partu. vix funditur extra
Stilla boni, rerumque ingentem procreat orbem.
O te deſertum, deſerto Numine, mundum!
Me miſerum! ſiluas dum millite cinctus oberro
Venatu indulgens, Diuum Pater, atque hominũ Rex
Incomitatus abis? Lateri iuuat addere tanto
Perpetuò comitem; valeant ſiluæque, feræque;
Tu mea præda Deus votorum ſumma meorum.
His dictis, imponit equo Myſtam pia ſacra
Geſtantem, Numenque magis cæleſte tre mentem
Indicio tanto; & pluuiam, (quam forte nigranti
Attulerant, nimbo properatam, & nubibus Euri)
Iniectu chlamydis defendit: deinde ſatelles
Regalis, dextra capit aurea fræna, præitque
Obſequia Numen, cœno guttatus & imbre,
Sed gaudens, velut in rorem ſtillantibus aſtris,
Has præfert, nitidis quas parturit India gemmas.
O pietas, ò ſancta Fides! quò corda tuorum
Abripis? à medio reuocans Heroa citatum,
Stare iubes curſu, placitoque labore fruentem
Di-

Diſtrahis ad curas alias: inuiſaque viſis
Ante habuiſſe doces: pedibus percurrere cænum,
Cœlum animo: dignum æthereos agitare per orbes
Cyllaron, aut Ariadnæa fulgere corona.
Ni foret obſequij potior pia gloria regnis:
Rodulphi haud ſperent famulatum æquare triũphi.
Quin talem certent famulatum ambire triumphi.
Et ſceptra, & trabeæ, & vario diademate vittæ
Cæſareę, & faſces, queis ſol aſſurgit vterque,
Zona die propiore calens, algenſque remoto.
Mira quidem, ſed vera; prioribus edita ſeclis
Secula noſtra vident, at finem nulla videbunt.
Hæc olim ventura, piæ tum fata Puellæ
Numen, & in ſomnis ipſi ceciniſſe Rodulpho,
Fama canit. Poſtquam longarum ambage viarum
Feſſus, & obſequij gaudens, ad nota reflexit
Tecta pedem, (myſtæ ſonipes nam ceſſit habendus
Ne veheret Reges Orbis qui vexit Olympi)
Fortia tranquillo permiſit membra ſopori.
Milleno interea vigilabat ſydere Cœlum
Imperijs Rodulphe tuis; nondum æthere flammas
Noctiuagas Aurora flagello lucis, & auro
Egerat, & matutino cum rore cadebant
Somnia vera Polo, medijs equitare ſub aſtris
Viſus, & igniferos tranſcendere ſaltibus orbes,
Lunam vltrà, Veneremque vltrà, ſoliſque rotatus,
Sedis inauratæ flauos penetrare receſſus,
Quà fauſtos regnaturis dat ſtella nitores
Imperioſa Iouis. Spatioſa expanditur illic
Regibus aula frequens; cui prodigioſa Neronis
Re-

Regia, & Aſſirij gemmata ſuperbia tecti
Concedunt, quantùm terris ſupereminet æther.
Parietibus pictis, variorum inſignia pendent
Regnorum, Macedùm diademata, laurea gentis
Romuleæ, Medùm cydares, Parthæque tyaræ,
Perſarumque mythræ, & triplici radiante corona
Pontificum auguſtalis honos. Parit omnia Cęlum,
Complexuque fouet, repetit iure omnia Cælum.
Et quæ mortales faciunt auctoribus aſtris,
Hùc vocat vnde fluunt; ditataque lumine multo
Cuncta ſinu Deus, & natura, recolligit vno,
Grata tributa Polo, & meritis ſpectacula Diuis.
Ergo Iouis ſydus terris fatale regendis
Purpurei celebrant proceres, queis ſydera virtus
Regnato Orbe dedit, geminoque effulgere ſeclo.
Illis Rodulphus ſe ſe miſcere parabat
Alloquio; mentem cum res incognita turbat
Lætitiaque, metuque ſimul. Stellantis in Aulæ
Nam medio, tripodi terrarum apparet imago
Impoſita aurato; ſummo Crux vertice fulget,
Atque imo radiat Rodulphi nomen in auro:
Auſtriacis paſſim titulis diſtinguitur Orbis.
Subridens tunc Auſtriades; num lumina fallunt,
Dixit, an in ludum mortalia vertitis, & nos
Delicias facitis ſuperi? cur pulcher in auro
Sydereo rutilat Rodulphus? Et Auſtria Regnis
Hic magnis ſuffulta tumes? ah, non mea tanti eſt
Gloria, vt Auſtriaci Cœlo monſtrentur honores.
Dixerat, huic propior qui vertice celſior omnes
Eminet Auguſtos, pro ſceptro grande coruſcans
Vexillum

Vexillum Crucis, Imperij fundator Eoi
Conſtantinus, ait. Soboles inuicta trionum,
Sanguinis Auguſti Princeps, tua gaudia, felix,
Diſcere quid dudum dubitas? Cæſarque futurus,
Cæſareumque dature genus, Regumque ſenatum?
Scilicet ille globus fata hæc notat aureus, & quæ
Aurea multiplices diſcriminat Auſtria zonas.
Tale Palatinus, dextræ comes addere pondus
Cefareę ſolet, & regnandum imponere mundum.
Verùm accede; globoq; inſcriptum perlege carmen:
Hæc fidei Rodulphe tuę Deus, atque tuorum,
Imperium æternum, diademata mille rependit.
Fortunata Domus! non ſe ſtirps Iulia tantum
Extulit, aut noſtrum germen gens Flauia: Magni
Nec ſoboles Caroli, aut ſanguis generoſus Othonũ:
Cæſaribus totum impleuit nec Regibus Orbem.
Nam velut in Cœlo ſolaris conficit annos
Orbita, per duodena Poli dum ſigna recurrit:
Haud ſecus in terris circum aurea ſecula ducet
Romani globus Imperij, duodena volutus
Per capita Auſtriadum totidem cenſebit & annos,
Quot Phœbœa dies numerat rota; deinde remenſus
Signa noua, Auſtriadumq; iterũ capita alta coronans
Imperium ſine fine trahet, ſine more triumphos.
Aſpice purpureo quæ candida faſcia limbo
Regnatore Iouis latè ſcintillat in auro,
Veſtræ ſtemma Domus: cum rerum conderet orbem
Hanc regnorum omen poſuit Deus: eſt tua tanti
Gloria, vt Auſtriaci Cœlo monſtrentur honores.
Fortunata domus! patrios en axe Bootes

Inclinat

Inclinat currus, & aues dat habere Latinas
Emenſas orbem geminum victricibus alis
Parte alia ſubigit, cum centum Hiſpania regnis,
Totum ſolis iter; qui lucis lampade gaudens
Auſtriacæ, in veſtro cunabula nactus, & vrnam,
Fabricat aurato Regum diademata gyro.
Indomitum veſtris iam Belgica terra Leonem
Ornari patitur frænis; Burgundia vellus
Donat inauratum, ſed Rhetia vertice plaudit
Alpinas tremefacta comas; Inſubria tanto
Obſequio tumet, & virides electra ſorores
Eridani riſus lacrymantur: Roma rubores
Sacrat, & Auſtriacos geſtit redimere nepotes.
Quid referam vt decus Italiæ, pulcherrima pandat
Regna voluptatis, nimium vicina Veſeui
Parthenope furijs? monſtriſque vlulata marinis
Vbere arundineo Trinacria ſacchara ſudent.
Quid rubra Sardoo prognata corallia ponto?
Quid gazas America tuas? ditique beatas
Veſpere ſtipatas claſſes? quæque aurea mittet
Plata tributa Tago, domini fulgere metalli
Luce minor gaudens; vel quæ factura propinquo
Inuidiam Cęlo, tanquam pretioſior aſtris,
Chile, gemmatos attollit ad æthera montes?
An dicam baccis quot grandinet India? Solis
Purpureum queis irrorat Matuta cubile?
An quot odoratis feret inſula plurima ſiluis
Theſauros Arabum? mulcet fragrantia pontum:
Quam nautæ præter felicia littora vecti
Reſpirant, & vela tument bene olentibus auris.

Nullo

Nullo non veſter regnat ſub ſydere ſanguis,
Tot Reginarum thalamis transfuſus, adoret
Gallia, & inuictos generoſa Polonia Reges
Auſtriaca genitrice ſatos. dotale Philippo,
Det Maria Albionis ſceptrum, Catharina Sabaudos,
Mediceoſque Duces educet Magdala: cinget
Boiariæ Dominum Fratris Maria Anna trophæis.
At Caroli Auguſti ſoboles dabit inclyta martem
Farneſium; felix Regali Mantua nuptæ
Plaudet, & argutos in carmina ſoluet olores.
Si qua tamen tellus erit expers barbara clari
Sanguinis, aut ſceptri, hanc implebit nomine fama,
Et circumlatis terror dominabitur armis.
Auſtriadum Reges ſic vltimus horret Iapon
Proxima pugnaces ſic Africa ſentit Iberos.
Infelix veteres iam pridem oblita triumphos
Africa, ſed clades nunquam tacitura recentes.
Sic Carolum Solimane fugis: licet agmina mille
Circumſtent domitorem Aſiæ, centumque trophæa
Bellorum; tamen ille ferox, ſi vera fatetur,
Non Carolus, non caſtra Ducem Germanica terret,
Auſtriacæ terrent fortuna, & numina gentis.
Sed quæ nam ſpumant Ægeo in gurgite claſſes,
Dum Mars millenis in prælia nauigat alis?
Noſco triumphales puppes; quas Thracia pallet
Luna, ſui vultum maculis aſperſa cruoris.
Ite Philippææ claſſes, Venetoque Leoni,
Romuleæque Lupæ iunctæ, defendite muris
Heſperium abiegnis, caſtriſq; natantibus, Orbem.
Quantus in Actiacis quondam turbo horridus vndis
Detonuit

Detonuit, belloque occaſum inuoluit, & ortum,
Dum Romam Auguſtus rapit hinc, Antonius illinc
Auroram, & Nilum, & quatiens Mareotica ſiſtra
Barbara matronas terret Regina latinas
Haud minor ijſdem olim bellonæ in fluctibus ardor
Sæuiet, & rurſus lituos animabit Enyo;
Dum ſæuus clades Oriens minitabitur Orbi
Occiduo, dirumque rubens Othomannica Luna
Inferet Europæ, ratibus vel mille, catenas.
Tum vice ſollicitę natorum, templa ſubibunt
Auſonię. & figent altaribus oſcula, matres;
Iam propiore malo, implorantes rebus egenis
In Cœlo Diuos, in terris arma Philippi.
Nec fruſtrà; Europę nam ſpes, & fata regente
Auſtriaco, geminus concurret in ęquore mundus.
Haud mora longa; nouis creſcentes cędibus vndas
Sentiet alma Thetis, calefactaque ſanguine viuo
Æquora, at audito ſonitu de gurgite Nymphæ
Purpureo emergent, diſperſa cadauera ponto
Turcarum, fractoſque arcus, laceraſque triremes,
Aurorę funus Nereides admirantes.
Sic feret Auſtriadis felicia fata, triumphoſque,
Exitium dum Turca parat: ſic imperat Æther.
Ex quo nam moles Othomanica ſurgit, Olympus
Deſtinat hanc contrà gentem, pugnantia ſignis
Signa, Europam Aſię, virtutem obſtare furori,
Perfidiæque fidem, atque Erebo concurrere cęlum.
Tu iurata fidem ſerua, atque vlciſcere ſemper
Perfidiam; nam tempus erit, cum cincta colubris
Tartareis, patriam latè bacchata per Arcton

Hęreſis

Hęreſis auguſtos Diuum temerabit honores.
Quin ipſam effigiem Reginę vulnere Diuum
Appetet, & gladijs oculos terebrabit acutis.
O miſeri! auferri ſperaſtis lumina Diuis?
Ne veſtras videant noxas, ne fulmina vibrent.
Vos cęci, fieri ſi Numina cęca putatis.
Quantum hęc cęca feret lacrymarũ, & cædis imago!
Quas de ſacrilegis pęnas, cladeſque videbit?
Cum medios inter pedites equiteſque Sacerdos
Effigiem oſtendens temeratam vulnere diro,
Cæſareas tali flammabit voce cohortes.

Germani Heroes, deuotaque pectora Marti
Sydereo, effigiem Reginæ agnoſcite veſtræ
Si licet, ah nimium laceram furialibus auſis!
Quid tantum potuit committere Diua? pudici
Quid meruere oculi, qui ſemper noſtra tuentur
Commoda, & humanas vigilant auertere clades?
O Dominę dilecta meæ Cæleſtis imago!
Sic etiam mihi cęca places. O lumina poſſem
Caſſa, oculis ſupplere meis, lacrymantibus imbres
Purpureos! O me tam clara nocte beatum!
At vos ò ſoboles furiarum emerſa cauernis
Cociti, ſoliſque pudor! Si tanta libido eſt
Sæuitię, gladijs artus diſcerpite noſtros,
Ora, manus, oculos, tantum ne lędite Diuos.
Hoc nimis eſt? ſaltem Reginæ parcite Diuum.
Pergitis eheu! nec terris, nec parcere Cælo?
Fulmina quid ceſſant? rurſus ne inferre gigantes
Bella Polo? vobis vindictam hanc mandat Olympus
O acies, cæli geritis vos fulmina dextris.

Digitized by Google

Ite profanatæ pænas expoſcite Diuæ.
Fallor, an ex alto armorum cecidit fragor? aſtris
Tranſmiſſæ ſonuere tubæ! omina tanta ſequemur
Quiſquis in arma vocas, bellumq; ſubimus ouantes.
Sacrilegi Cœlo exitium debetis & Orco.
Hæc vbi dicta: ruet, vibrantem fulmina cæca
Non cæcam attollens Diuam, fluitare videres
Aduerſas acies, agitatas vertice criſtas
Pro Zephiro nutare metu, trepidantia equorum
Pectora, vix audire ſui rectoris habenas.
Iam tremere incertos cauſæ, iam vertere turpi
Terga fuga, & campis cæſorum attollere moles.
Sic eat in magnos qui torquet fulmina Diuos.
Cæſaris at iuſſu Diuæ armipotentis imago
Romanos ſcandet montes, & culmina lauris
Aſſueta, vt mundi ſublimis in arce triumphet.
Burgheſium Diuæ templum de marmore ſurget.
Pendebunt vbi victa tholo, & laquearibus aureis
Signa, tubæ domitæ, perfoſſaque timpana, fractæ
Loricæ, & galeæ coni ſine honore dolentes,
Haſtæque gladijque, arma infelicia victis:
Seruabit templo Auſtriadum Victoria nomen.
Ergo Rodulphi quotquot de ſtirpe Nepotes
Olim clara manu capietis ſceptra, probate
Progeniem pietate pari. malè ſana cupido
Pellæum Iuuenem mundo, ceu carcere, clauſum
Impellat fines terrarum ambire trophæis.
Imperio partos ſuperis ſubmittere mundos
(Auſtriadæ) veſtri ſit Martis teſſera, terris
Non aliter Diui tractarent arma, relicto

Aethe-

Æthere. Vos bello Cæli defendite cauſam:
Vos teget aſtrorum præſens legionibus Æther.
Orta ſub Auguſto, pietatis ſydere, ſceptra
Immenſum creſcant pietatis ſceptra per æuum
Auſpicijs. erit vnum Relligionis in orbe,
Gentis & Auſtriacæ fatum; quicunque negabit
Obſequium ſuperis, hunc Auſtria iudicet hoſtem.
Infidiſque Deo populis dare iura recuſet.
Tum quocunque trahet victricia ſigna per Orbem;
Signa, Fides, Pietas, Virtutum caſtra ſequantur;
Sic animis genus humanum ſe tollet Olympo;
Vt Deus in cælo, regnabit & Auſtria terris.

FINIS.

Digitized by Google

DELPHINO LVDOVICI XIII. GALLIARVM REGIS CHRISTIANISSIMI FILIO GENETHLIACON.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO PRINCIPI

ANTONIO

CARD. BARBERINO

S.R.E. CAMERARIO.

GVLIELMVS DONDINVS
Felicitatem.

GALLICI DELPHINI natalis, poſt quatuor & viginti tandem annos impetratus è Cœlo, voti ream vniuerſam Europam fecit. Hinc ad feſtas aras, piæ animæ thura, omnique thure gratiores preces litauere, largitione munerum, ſpectaculorum munificentia, plauſum exhibuiſtis vos Principes; nos,

 qui-

quibus vna vox in pretio eſt, orientem Galliæ Solem, inopi, ſed ſuaui tributi genere, cantu veneramur. At Religioſæ Muſæ, quamvis vt Virgines, & à factionibus intactæ, armatarum partium ſtudia minimè pertimeſcerent, ornamento tamen ſuo adoptauere Tuum, EMINENTISSIME PRINCEPS, florentiſsimæ Purpuræ florentiſsimis Regnis expetitum fulgorem; pulchrumque duxerunt innocentes DELPHINI laudes in eo nomine apparere, quod gratum, amabileq; Galliæ toti reſonaret. Accedit, quòd, in Europæ Theatro, Tu quoque primarum partium Princeps, Regi nato plauſum excitaſti vnà cum Regibus; Regiaq. in muneribus ſpectaculiſq. magnificentia, maximorum Regum beneuolèntiæ parem Regalem animum repræſentaſti. Ibit in annales Gallorum ANTONI Cardinalis BARBERINI nomen, ac meritum: per te conuulſam ſedibus ſuis Romam, ad veneranda Gallica Lilia in fronte tuarum Ædium innumeris coronata luminibus, accurriſſe; atque in Barberino Theatro, opulenta ignium quaſi ſiderum pompa, ad miraculum collucente, variè illuminatos LVDOVICI XIII. triumphos cum admiratione ſpectaſſe; tantumque ſub Romano Cœlo ſplendidæ gloriæ acceſsiſſe illi Genti, quæ ab ipſis imperij ſui

pri-

primordijs Romanæ Fidei propugnatrix, mille prope, ac ducentos annos, gloria pietatis, & armorum, Europæ Aſiæque faſtos impleuit. Præclara hæc ſanè, fauoremque merita generis humani; quid illa, quorum gratia, & fauor peruenit ad Superos? Pro numero annorum inuictiſſimi Galliarum REGIS, dotatæ ampliter Virgines, pauperes, aræque ditatæ; vt plurima de tua liberalitate præmia, pro vno donato terris DELPHINO, retulerit Cœlum. His igitur, alijſq. ampliſsimis in REGEM CHRISTIANISSIMVM, Regnumque promeritis illud haud poſtremum accedat; DELPHINI quoque laudatrices Muſas beneuolentiæ Tuæ receptas in ſinum; ſolaque Regij argumenti maieſtate nobilitatum carmen, altero hoc ornamento claruiſſe, patrocinio Principis, qui Purpura, & magnanimitate Reges æquaret. Vale.

PRO-

Digitized by Google

PROLVSIO.

LAudatiſſima conſuetudo natales dies celebrandi in ipſis Mundi natalibus orta eſt. Vniuerſitatis quippè fabricator DEVS, nobiliſſimi operis à nullis initijs in lucem erumpentis pulchritudine delectatus, illum Orbis naſcentis exortum omnibus ſæculis commendare voluit die ſeptima, vt ait Philo, tanti natalis memoriæ conſecratà. Inde originem duxiſſe fas eſt credere Vrbium primordia recolendi rationem; hinc natales Imperatorum, ac Principum. At Romani natalem Patriæ, terrarum regnatricis, diem incruentum, inuiolatumque à cædibus eſſe voluerunt, vt alia multa, id fortaſſe à Græcorum diſciplina mutuati, apud quos in Delo Inſula ara antiquiſſima viſebatur Apollini dedicata Genitori, quæ cùm nullius victimæ contaminaretur ſanguine, teſte Cyrillo, piorum vocabatur altare: putabant enim Præſidi natalium Deo, vt male ominoſas, cruentas victimas non placere, odioſumque ſacrificij ge-

nus

nus eſſe, vt Numen vitæ propitium reddas tuæ, tollere alienam. Ac propterea antiquiſſimæ probitatis Viri, auctore Varrone, id moris, inſtitutique tenuerunt, vt cùm die natali munus annale genio ſoluerent, manum à cæde, ac ſanguine abſtinerent; ne, qua die acceptam ipſi lucem celebrarent, aliis demerent. Quæ cum ita ſint, facilè in eam ſpem Muſas erexerunt, fore, vt LVDOVICVS XIII. pietate iuxta, ac fortitudine clariſſimus Galliarum REX, DELPHINI ſui natalem, ingenti votorum pretio populis à Deo datum, optatiſſimæ pacis commodis, quam cruentis bellorum tumultibus celebrari malit, & quod pulcherrimum eſt CHRISTIANISSIMO Regi, immortalem Regem Chriſti Parentem imitari, qui natalem Diuini Filij, clauſo Iani templo, indictoque bellis ſilentio, hoc eſt procul à ſanguine, ac cædibus, celebrauit. Libuit igitur ad ipſum Regium Infantem Muſas allegare, hortarique, vt ſequeſtrum ſe pacis apud magnum Genitorem exhibeat, &, cùm Regius vtriuſque ſit ſanguis, naturali charitate reſtinguat vtrinque irarum

faces,

faces, quibus ſublatis, languidiores bellorum æſtus faciliùs detumeſcent. Quòd ne quis fortaſſe ſuccenſeat tanquam altiùs ſpirantibus, & maiora quàm pro viribus audentibus Muſis, is intelligat, antiquiſſimo poetarum iure nos vti, ab heroicis vſque deriuato temporibus: cùm, Homero teſte, rixantes inter ſe DEOS, & ad cæleſte diſſidium ſupera, inferaque commouentes, Apollo, Muſæque pacarunt. Libet etiam poeticè cauſas tardioris Reginæ partus exquirere, eaſque Herculeo exemplo in multiplicem naturæ laborem conferre, dum illa Religioni, ac Fortitudini, aliјſque Virtutibus partes ſuas in Regia Infantis indole depoſcentibus, ſatisfacere longiori operæ, ac temporis impendio contendit.

DEL-

Digitized by Google

DELPHINO
GENETHLIACON.

EVenere: litet grates Europa Tonanti.
E, Auguſtum Infantem, genus alto à ſanguine Re-
Terrarum votis, Cœli cunctantis ab vlnis (gum,
Traximus in gremium Regnorum: grande furentum
Lenimentum irarum, & pignus amabile pacis.
Quis lentos culpet Superos, ſi munera reddunt
Fatorum, meliora moris? ſudantibus aſtris
Tam fauſtum portare diem, quo, nubila belli
Inter, adorati diffunditur aura ſereni,
Et populorum vnus compenſat funera partus.
Fortunate Puer, per te ridebit vterque
Hoſtis, &, irarum furijs quas verſat Enyo,
Diſcordes Gentes communia gaudia iungent,
O vtinam & iungant communia fœdera Gentes.
Tu potes armatum Patris exarmare rigorem,
Et pacem extorquere pio: in te lumina voluens,
Dum mixtos vultus, & partem cernet in ore
Sanguinis Auſtriaci, conceptas exuet iras.
Et quem funereos agitans Rupella furores,
Et coniuratis animoſa Britannia turmis
Frangere non potuit, nec terruit Auſtria regnis
Circumfuſa ſuis, quin vltro ſtringeret arma
Turbidus, & tota generoſum quæreret hoſtem
Europa, & quàcumque ingens ſe in membra relaxat
Imperium, peteret bello; Belgamque ferocem,

Teu-

Teutonaq; intrepidum, Burgundum, Inſubriaq; arua,
Cantabricoſque ſinus; inſterneret æquora velis,
Oceanumque patrem: quem non flexere, coacti
Stare cadaueribus fluuij, campique natantes
Cœdibus: hunc tandem fletus puerilis amantem
Flectet, & imbellis franget violentia vultus.
Tu modò, blande Puer, dum te Regina volentem
Tollet ad armati amplexus, atque oſcula Patris,
Ne dubita, ferri intrepidos in caſſida vultus
Inſerere, & cupidi ſenſim Genitoris in ora
Maternam inſinuare animam, curamque propinqui
Sanguinis, & ſuaues infundere pacis amores.
Hauriat ore ſacro ambroſiam, qua pectoris iram
Leniat, inque tuis dulceſcant fœdera labris.
Iunganturque animis, quos miſces ſanguine Reges.
Sed quæ Regales remorari obſtacula partus,
Atque vteri trahere in longum potuere laborem,
Dicite Cælicolæ: neque enim ſine numine veſtro
Phœnicem Heroum meditans, magnoq; Parenti,
Progeniem æquandam, tam longo tempore vires
Exhauſit Natura ſuas, & fabula quondam,
Facta eſt vera fides; mendax Pacator vt Orbis
De Ioue non poterat naſci, niſi tota vacaret
Partubus Herculeis Natura, & Vindice tellus
Læta ſuo, vnius donaret fœnora lucis.
Poſtquam terrarum Precibus Placabile Numen
DELPHINVM indulget Gallis, & grande Tonantis
Decretum folio inſcriptum ſtellantis Olympi
Docta legit Natura, manus ad iuſſa ſequaces
Expedit, & primò radiantem de face Solis

Sub;

Subripit, Herois ſingendam in corpora flammam,
Dein tacitam virtutem aſtrorum, arcanaque Cœli
Semina, & Auſtriacæ miſcet Genitricis in aluo.
Et iam molitrix hominum vetus, arte magiſtra
Nobile maturabat opus, cum Diua repente
Naturam properantem, aduentu, ac voce moratur
Relligio: multum cui numen in ore renidet
Sidereo, multum arcano ſub pectore Numen,
Et certi occulto nituntur Numine greſſus.
Tum prior: Aſpectu fortunent aſtra beato,
Alma parens rerum, quem concipis æqua laborem,
Nam Solem accendis, Regem dum fingis in Orbe:
Vnum oro, quod iure dabis, ſi iure repoſcam.
Tantæ animæ hoſpitium Regale, habituſq; caducos
Magnanimi Herois, & corpus moribus aptum
Finge meis, teneris pietatis ſemina membris
Inſinua, ſenſum docilem, infuſique capacem
Ætheris; haud ignara quidem, concordia quanta eſt
Sanguinis, atq; animæ: quis laudum illuſtre cacumen
Natura obluctante queat perrumpere? rarò
Degeneri veniunt generoſi ex indole mores.
AVGVSTO DELPHINO, integri ſanguinis vnda
Educet integros virtutum ſemina flores,
Autumnumque pium, teneris erumpat in annis
Relligio matura, & adhuc ſuſpendere greſſum
Inſcius, ad culmen properet pietatis auitæ.
An non Sequanici laus antiquiſſima Regni
Relligio? Chriſto millenos amplius annos
Gallica ſceptra fidem ſeruant, nec tempore tanto
Perfidiæ crimen, labeſve erroris adhæſit

Re-

Regibus vlla meis, ex quo Clodoueus amantis
Coniugis, euictus precibus, ſub acerba ſuorum
Funera, donanti laurus dat nomina Cœlo.
Cum fœcunda vtero, magis at pietate Clotildis,
Prole quidem egregia cinxit Regina maritum,
Sed peperit ſummo Francorum regna Parenti.
Tunc regnaturæ æternum pietatis in æuum
Signa dedit Cœlum; vngendo nam chriſmata Regi
Detulit, aſtrigera demiſſa ex arce columba.
Nec dubitare nefas ſit, Relligionis amores
Poſſe vnquam Gallorum animis langueſcere Regum
Curſibus ætatum immenſis? quibus omine tanto
Balſama, inungendis anguſtis frontibus, ipſi
Sudauere poli, atque oleo ſacrantur eodem,
Quo Superi, Galli Reges; diuiſaque tantùm
Imperia, hi terris, illi dominantur in aſtris.
Quin etiam tanti rutilantia ſtemmata regni,
Haud hominum inuẽtum, auctori debemus Olympô.
Namque vbi tergeminæ Regum vexilla coronæ
Fingebant prius, has ſuperùm expunxere lituræ,
Et noua inaurato fulſerunt lilia culmo.
Ipſa ego crediderim, patrias linquentia ſedes
In ſpeciem vertiſſe vltrò ſe ſidera florum,
Ambitioſa ſacras Gallorum in prœlia turmas
Ducere; nam quoties pro Relligione citatæ
Inſonuere tubæ, vexillum nobile, Cœli
Tollebant donum, Auriflammam nomine dicunt,
Flamma vbi ſiderei floris ſcintillat in auro.
Nec mora longa fuit, cum lilia ab ætheris aruis
Tranſmiſſa, in terris defendere iura paterni

In-

Inſtituunt Cœli; libaras corde recentem
Vix Clodouee fidem, iam propugnator haberi
Gaudes, Pictonicos Gothica de clade relicto
Nomine, nobilitans quos fœdas ſanguine campos.
At fidei Vindex, furiarumque vltor Auerni,
Clarior Auguſti Martellus ſanguinis auctor,
Quos Saraceno luctus tulit? horrida viſu
Millia tercentum, vaſta cum ſtrage iacerent,
Et victi, fruſtrà bello quæſita tenerent
Arua cadaueribus: camporum immenſa gemebant
Aequora, Barbaricis latè regnata ſepulchris.
Ante dies feſſam me deſerat, ire per omnes
Quàm vacet annales Regum, & monumenta piorum
Perlegere Heroum; ſed bina exempla ſilendo
Præterijſſe nefas, quæ mente manuque retractans
In tanto Natura queas effingere partu
Pipinum, & Carolum, Magni qui nomine fulgens
Innumeras titulum palmas conflauit in vnum.
Cuſtodes ambos, & propugnacula ſenſit
Relligionis honos, Vaticanique columnas
Imperij, Marteſque pios; extrema minatus
Dum Longobardus quatiebat mœnia terror
Terrarum ah fruſtra Dominæ, ſciſſoque Rauennam
Audebat chlamydis limbo lacerare latinæ.
Cum gemerent veteres latialia caſtra triumphos,
Et malè iam tegerent lapſæ Capitolia palmæ,
Implorauit opem Gallorum Roma manumque
Fatalis ſibi Gentis: Epiſtola tranſuolat alpes
Romani Patris, inſtanti tremefacta periclo,
Nominibus ſuperum ſubſcripta: excanduit actus

Nobilibus furijs Pipinus ad arma, preceſque
Supplicis erubuit Cœli, volat auſpice tanto:
Hinc ſuperatæ alpes, ac fluminis inde refuſi
Inſtar inundantes Galli, & certamine magno
Deuictus, captuſque Aſtulphus, libera Roma,
Impetus vnus erat Francæ pietatis: ouantem
Pipinus reuocat Martem, ſolamque reportat
De ſpolijs famam defenſæ Principis Vrbis,
Inſtar & ingentis Roma eſt ſeruata triumphi.
Sanguinei merces belli pretioſa Rauenna
Romuleo ceſſit Domino. O pietatis alumni
Heroes gratis Italum ſudaſtis arena,
Magnanimas ſtatuendo vices, ſpectaret vt omnis
Vos labor, at meſſes cumularet Roma laborum.
Nec ſemel his donis veneratur Sequana Tybrim.
Quin Carolus clari ſoboles Auguſta parentis,
Infidam Romæ gentem totieſque rebellem
Suſtulit; ingemuit Franca mactata ſecuri
Longobardorum metuenda potentia Regum,
Et Vaticano cadit hoſtia grata Tonanti.
Ipſa ego Relligio puras miſcere cruento
Auſa manus bello, & propiora in fata furentem
Trudere Reginam Inſubrum, ſtratæque cadauer
Inſultare ferox, ne quando attollere poſſet
Colla ſuperba, meamque laceſſere perſida Romam.
Non hanc armorum pietatem, actoſque labores
Et patris, & nati, donataque bella Tonanti,
Indonata ſinunt ſuperi; quin fœnore magno
Parta ſemel cœlo victoria, mille triumphos
Congerit in Caroli gremium, defenſaque Roma.

Im-

Imperio Francum donat; Mundique ſalutat
Rectorem occidui: frontem diadema capacem
Laxius impleuit, ſceptrumque æquale vereri
Cogitur, Imperij Græcus moderator Eoi.
Auguſto tunc aſtra nouo, fulſere fauenti
Lumine, perpetuique decus Victoris, & omen,
Fatali ſanxere choro; ſeu Danica duro
Agmina Marte quatit; Saracenumque cruentat
Cladibus, & maria, & campos: ſeu Saxona victum
Subdere colla iubet ſuperis, mulctaque beata
Nobile vectigal pietatis ſoluere cœlo:
Omnibus à bellis palmas metit, omnibus armis
Victor abit Carolus. Reſtabat maxima rerum
Dicere, poſt Caroli prolem cœleſtibus orbem
Frænantem occiduum ſceptris, de ſtirpe Capeti
Cæſaribus ſobolem Eois, centumque ſuperbam
Regibus; & populum Heroum; hinc pietatis honori
Tot ductas acies, tot pugnata ordine bella:
Seruitioque exemptam Aſiam, & quæ regna beatos
Suſtinuere pedes, ſupremi habitata Parentis
Vnigenæ ſoboli, Diæ vitæque necíſque
Conſcia; dein toties Solymam in ſua dona rebellem
Marte fatigatam Franco; memorandaque magni
Arma Ludouici, Diuumque hominumque theatris
Inclyta, quem feſſum vincendo Regia cęli
Excipit, & ſacros venerantur templa labores;
Quin & ciuiles acies, Regeſque nocentis
Perfidiæ vltores, pietati cæde litantes,
Et Patrem ante alios, nulli virtute ſecundum:
Cui priſcam ſeruata fidem, cui Gallia debet

 Pa-

Digitized by Google

Pacem, inteſtinis ſecura tumultibus, omnis
Dum procul impietas fugit arcibus extirpatis:
Denique maternas laudes, & Gentis honores
Auſtriacæ, cuius pietas primordia fouit
Auguſta, & Soboles Arctoa è ſede profecta
Aequauit ſolem Imperijs, miretur vt armis
Heſperijs, luſtrata ſuæ cunabula lucis,
Sortiri Heſperio qui dicitur axe ſepulchrum.
Talia Relligio vberiùs dictura, repreſſit
Vocem, Belligeræ ſubito turbata tumultu
Virtutis, quæ luminibus teliſque coruſcans,
Naturam trepidantem his vocibus interpellat:
Paucis illa quidem, nam cauſas enſe perorat,
Multaque belligeris conſtat facundia factis: (nantur;
Parce metu Natura; haud bellum hæc arma mi-
Nec tibi, cui noſter potius ſe deuouet enſis
Inclyta Relligio; ſed me quoque cura laboris
Sollicitat tanti, parteſque & iura repoſco,
Martia pectoribus Regnantum debita virtus.
Nec votis obſto pietatis: Regibus Infans
Tam ſanctis genitus, pietate inſignis auorum,
Sit pius; at naſcens animoſis Regibus Infans,
Quorum Orbem bellis luſtrauit feruida virtus,
Sit fortis; pietate Deo ſuperiſque propinquet,
Magnanimis totum ſed factis compleat Orbem.
Relligio imbellis priuato in pectore regnet,
Regem armata decet pietas: anne ille regendis
Imperijs, poſtquam matura adoleuerit ætas,
Tot latè fœcunda malis, niſi fortibus armis
Sęcla domet, fraudeſque, & cæde tumentia bella?
Multa

Multa licet ſuperos commendent, fulminis illos
Fortia tela probant melius, cœloque tonantem
Teſtantur regnare Deum, dum panditur ardens
Æthra ſuper flammiſque micat laxata triſulcis.
Agmina tunc fugiunt culparum, & conſcia pallent
Sidera, inhorreſcunt ignauo frigore fraudes,
Nec ſcelera irato tentant ſe credere cœlo.
Imperij Franci moles, impoſta Parentis
Nunc Atlantæis humeris, ſecura quieſcit.
Aſt vbi longæuæ Genitor poſt luſtra ſenectæ,
Subtrahere ingenti properarit colla labori,
Sufficies DELPHINE oneri, vireſque animoſque
Herculeos: nec mutata ceruice regentis,
Ardua Sequanici nutabit machina mundi.
Hydra Acheronteis errorum incincta colubris,
Perfidiæque malis, ferro flammaque Parenti
Deuaſtata diu, ne quando repullulet atris
Peſtibus, vltorem hunc timeat: quot debita terris
Bella externa manent? Delphini lilia nati
Regna Paleſtinæ Francis fatalia vinci
Gentibus implorant, implorat Regia quondam
Græcia terrarum, & ſoboli regnata Capeti,
Nunc miſero Odryſias collo ſuſpenſa catenas.
Quamquam ò, ſi Regum tela exſaturata quieſcant
Sanguine, non deerit patrijs pars illa triumphis.
Et decus Imperij Carolus ſi reddidit Orbi
Occiduo, referet faces LVDOVICVS Eoos.
Nam quid honoratis non pronum ſentiat auſis
Dextera Regalis? quidue impenetrabile? rerum
Mens Richelæa agitans molem, irrequieta, mouendo

Pacem, inteſtinis ſecura tumultibus, omnis
Dum procul impietas fugit arcibus extirpatis:
Denique maternas laudes, & Gentis honores
Auſtriacæ, cuius pietas primordia fouit
Auguſta, & Soboles Arctoa è ſede profecta
Aequauit ſolem Imperijs, miretur vt armis
Heſperijs, luſtrata ſuæ cunabula lucis,
Sortiri Heſperio qui dicitur axe ſepulchrum.
Talia Relligio vberiùs dictura, repreſſit
Vocem, Belligeræ ſubito turbata tumultu
Virtutis, quæ luminibus teliſque coruſcans,
Naturam trepidantem his vocibus interpellat:
Paucis illa quidem, nam cauſas enſe perorat,
Multaque belligeris conſtat facundia factis: (nantur:
Parce metu Natura; haud bellum hæc arma mi-
Nec tibi, cui noſter potius ſe deuouet enſis
Inclyta Relligio; ſed me quoque cura laboris
Sollicitat tanti, parteſque & iura repoſco,
Martia pectoribus Regnantum debita virtus.
Nec votis obſto pietatis: Regibus Infans
Tam ſanctis genitus, pietate inſignis auorum,
Sit pius; at naſcens animoſis Regibus Infans,
Quorum Orbem bellis luſtrauit feruida virtus,
Sit fortis; pietate Deo ſuperiſque propinquet,
Magnanimis totum ſed factis compleat Orbem.
Relligio imbellis priuato in pectore regnet,
Regem armata decet pietas: anne ille regendis
Imperijs, poſtquam matura adoleuerit ætas,
Tot latè fœcunda malis, niſi fortibus armis
Sęcla domet, fraudeſque, & cæde tumentia bella?

Multa

Multa licet ſuperos commendent, fulminis illos
Fortia tela probant melius, cœloque tonantem
Teſtantur regnare Deum, dum panditur ardens
Æthra ſuper flammiſque micat laxata triſulcis.
Agmina tunc fugiunt culparum, & conſcia pallent
Sidera, inhorreſcunt ignauo frigore fraudes,
Nec ſcelera irato tentant ſe credere cœlo.
Imperij Franci moles, impoſta Parentis
Nunc Atlantæis humeris, ſecura quieſcit.
Aſt vbi longæuæ Genitor poſt luſtra ſenectæ,
Subtrahere ingenti properarit colla labori,
Sufficies DELPHINE oneri, vireſque animoſque
Herculeos: nec mutata ceruice regentis,
Ardua Sequanici nutabit machina mundi.
Hydra Acheronteis errorum incincta colubris,
Perfidiæque malis, ferro flammaque Parenti
Deuaſtata diu, ne quando repullulet atris
Peſtibus, vltorem hunc timeat: quot debita terris
Bella externa manent? Delphini lilia nati
Regna Paleſtinæ Francis fatalia vinci
Gentibus implorant, implorat Regia quondam
Græcia terrarum, & ſoboli regnata Capeti,
Nunc miſero Odryſias collo ſuſpenſa catenas.
Quamquam ò, ſi Regum tela exſaturata quieſcant
Sanguine, non deerit patrijs pars illa triumphis.
Et decus Imperij Carolus ſi reddidit Orbi
Occiduo, referet faces LVDOVICVS Eoos.
Nam quid honoratis non pronum ſentiat auſis
Dextera Regalis? quidue impenetrabile? rerum
Mens Richelæa agitans molem, irrequieta, mouendo

Semper, Regnorum magno ſe corpore miſcens
Gallia non alio tantum ſibi plaudit alumno,
Aut cui poſt Regem inuictum plus debeat, alta
Pace domi fundatum, & opum ſtans mole ſuarum
Francorum ſolium, cunctis venerabile ſceptris.
Arbiter hic bellorum, ac pacis; fidus Achates
Francigenæ Aeneæ, & nullo minor Hectore, iunctus
Conſilijs, armiſque ſuo Patroclus Achilli.
Nec tamen extremo fixis Patris orbe trophæis
Sit DELPHINO dubitanti, an ſit quod vincere poſſit,
Materies dabitur Pellææ iuſta querelæ:
Perſa erit atq; Scythes, Mogoreſq; & ſi qua ſuperſunt
Regna Orientis, adhuc Francorum intacta triumphis;
Ergo age magna parens, dum membra tenella figuras,
Et ſuffecturum tantarum ad pondera rerum
Heroa informas, in venas ſanguinis æſtus
Ingere belligeri, flammaſque in corda Leonis
Aetherij, preſſumque ſuo cum ſidere Martem.
Qualis, Pellæi pueri valida oſſa lacertoſque
Atque manus fabricantem Orienti iura daturas,
Laſſauit labor; aut Cæſar cum naſcitur armis
Rapturus Mundi Imperium; aut poſt funera Cannæ
Romanas Libyæ laturus Scipio clades.
Sed quid ego hæc memoro, crebris ſi fęta triumphis,
Et lauris opulenta, exempla domeſtica laudum
Fert Auguſta domus? quin Filius hauriat omnem
Patrem animo, & multos generoſo pectore claudat
Henricos, & quot Reges de ſtirpe Capeti,
Quæ ſeptingentos animoſa regerminat annos,
Bellica Sequanicis æternat gloria faſtis.

Quin

Quin etiam maiora moue, vt mendacia vero
Victa poetarum, ceſſent portenta videri;
Et falſos mittens mirari, hunc Græcia ſolum
Prædicet Alciden, ac tantum robore, quantum
Fabula Mœonium plectro formauit Achillem.
Hinc primæua Puer, ſpernens cunabula ſaltu,
Mite rudimentum bella ad grauiora; laborem
Militiæ ſylueſtris amet; curſuque volantes
Nunc ſuperet ceruos, nunc apros dente feroces
Siſtat, & aduerſa rabidos tranſuerberet haſta.
Aſt vbi Mauortis conceperit indole robur,
Auſpicijs clari Genitoris, ponat in armis
Aſperius tyrocinium, procurrere in hoſtem
Fortis, & æratas perrumpere pectore turmas.
Qualis auus quondam, fremitus cum bella tonarent
Horrendos, & mille fauens fortuna periclis
Cingeret, vt Magnum tandem factura probaret
Henricum: medias acies medioſque per hoſtes
Ille viam Regno pandens, virtute redemit
Debita Regali iam bis diademata fronti.
Aut qualis Genitor Rupellæ colla minacis
Fregit, & Oceani paſſurum vincla negantis
Infrænans rabiem, ſolido de gurgite, claſſes
Riſit in occurſum fruſtra ſudare Britannas.
Talia dum memorat, dicentis in ore notatas
Scintillas, calidoque expreſſum Marte ruborem,
Ipſa ſuo diſcens operi Natura refuſos
Addit, & immixta pietatem exaſperat ira.
Ecce autem & reliquæ manibus per mutua nexæ
Virtutes aderant, laudeſque in Rege tenello

Depoſcunt florere ſuas; Prudentia princeps
Solertis cautas Ludouici prædicat artes:
Aonias Diuas, ſtudijſque auroque fouendi
Gloria, Franciſcum reuocat: Clementia multum
Ore habet Henricum: tum concolor ora paternis
Vultibus, ingenui cuſtos rubicunda pudoris,
Et cuſtos pariter Vindexque æquiſſima recti,
Magnanimi geminos iactant Genitoris honores.
His alijſque animi virtutibus, optima morem
Dum gerit, atque oculos Natura ad ſingula voluit,
Creuit in immenſum labor, & mirabile Diuæ
Tardabatur opus; magni procedere menſes
Incipiunt, donec florem delibet, & omnia
Semina virtutum, partu componat in vno. (ſenſit
Quem poſtquam ad numeros conſtare per omnia
Alma parens, cœli aſpectus ſortita ſecundos,
Impulit Heroem liquidas ſe effundere in auras.
Salue Magne Puer, cuius Natalibus omnis
Aſſurgit feſto reſonans Europa tumultu.
Nam quæ non ſacro contingis ſanguine Regna?
Auſtria te ſobolem iactat Hiſpana ſororis,
Auſtria te conſanguineo Germana ſuperbit:
Partem habuiſſe ſui Regali in ſanguine gaudet
Mediceus, gaudet partem traxiſſe Sabaudus,
Et noſtro nimium diuiſus ab Orbe Britannus.
Quid referam Italiæ plauſus? ſeu Mantua cycnos
Excitat ad cantus, ſeu proxima vertice prono
Borbonio aſſurgunt Farneſia lilia flori,
Seu Ligurum inclinat Regnatrix, æmula cœlo
Mœnia, & aggeſtis redimitam montibus Vrbem.
At

At Venetum Regina ſuum complexa ſalutat
Patritium Regalem, animis, ni ſanguine, Gallo
Proxima DELPHINO, & tantis natalibus æquor
Lenè ciens placidum, plauſum ſonat omnibus vndis.
Quæ prima audierat venerati murmura partus,
Prima per Italiam partus arcana ferebat:
Henrico dilecta olim, quem Gallia Magnum
Iure canit, Iuſto pariter dilecta Parenti.
At ſi vera Parens præſagit, auumque Patremque
Vincet amor Nati, & geminos æquabit amores.
Te ſeptemgemino tandem de culmine mundi
Alme Puer, Superum compellat voce, Tonanti
Proxima maieſtas VRBANVS, qui ſacra ferri
Munera, Regales iubet ad cunabula cultus.
Hinc te quæ trabeis Regum inuidioſa recinget
Faſcia, Cæſareæ vittæ, ac diadematis inſtar
Crinibus implicita, Imperium portendet Eoum,
Et malè quas rapuit Turcarum Rector habenas.
Iam nunc crudelem diro omine faſcia Thracem
Romana fabricata manu contriſtat; at ingens
Vrbs Conſtantini, ſperato vindice gaudet.
Hæc eadem, in vexilla olim ſe faſcia fundet,
Sequanicas ducens acies, tumulumque Tonantis
Aſſerere, & Francis dominata repoſcere Regna.
Nam licet illa auro diues gemmiſque coruſcat,
Haud ſummum decus à gemmis, accerſit & auro:
Sed pretium olli ingens, felicia fata, triumphoſque,
Ominaque Imperij, VRBANI tibi fauſta precantis
Infudere manus, queis tantùm iuris, in ipſa
Sidera conceſſum, geſtuque recludere Cœlum.
Ille

CASIMIRI
IV.
POLONIÆ
AC
SVECIÆ
REGIS
INAVGVRATIO
TRIVMPHALIS.

Digitized by Google

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO

IOANNI CASIMIRO

REGI POLONIÆ

ET SVECORVM GOTHORVM VANDALORVMQVE HEREDITARIO REGI

Magno Duci Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſouiæ, Samogitiæ, Volyniæ, Chiouiæ, Liuoniæ, Smolenſciæ, Czernichoniæ.

GVLIELMVS DONDINVS Felicitatem.

POſt orationem à me in parentalibus VLADISLAI IV. ad INNOCENTIVM X. P. O. M. habitam, ſiſto MAIESTATI TVÆ carmen in Tuam inaugurationem dictum, ad coronam ſedecim Principum Purpuratorum. Laudationi funebri, triumphalem gratulationem adiunximus, veſtri ampliſſimi regni ritum ſequuti, vbi modico temporum interſtitio, ex-

tinctus Rex ad tumulum, ſucceſſor effertur ad ſolium. Viſum eſt quoque intereſſe Reipublicæ, non ante memoriam amiſſæ Maieſtatis renouare, quam TE inauguratum Regem, glorioſum ſolatium haberemus. Sic non refricabitur ſine fomento cicatrix, & doloris morſu carebit, cum deſiderio careat, iucunda ſemper VLADISLAI Regis recordatio, Fraternam non minus virtutis, quam diadematis magnitudinem, auguſto capite Tuo implente. Agnoſcent Poloni excelſiſsimi Regis imaginem in orationem noſtram ſtylo transfuſam, quemadmodum ſpirantem illum videntur intueri in vita, & moribus Tuis. Quamquam Te quoque Tuaſque laudes illius, laudibus factiſque confuſas mirabuntur, quandoquidem nihil ferè magni Frater ſine TE geſſerat, cùm TIBI contra ſine illo principatus TVI curriculum ſuperſit, metiendum veſtigijs æternitatis. Conſilia MAIESTATIS TVÆ ad Chriſtianæ Rei propagationem, & Poloniæ gloriam fortunet Deus.

PRO-

PROLVSIO.

CVM in Romano Collegio non ſemel Heroum, ac Principum virtuti Muſarum chorus aſſurrexerit Eminentiſſimi Principes, nefas eſſet ſilentio præterire CASIMIRVM hæreditarium Sueciæ Regem, ad Poloniæ ſolium eucctum non Regij iure ſanguinis, ſed heroicæ commendatione virtutis, cùm fortuitum ſit naſci Principem, vt ait ille, optimum quemque electio inueniat. Sed alio inſuper nomine Rex CASIMIRVS Romani Collegij vindicat plauſum, quòd hac in vrbe in obſcuritate noſtri Ordinis latere voluit, vt cœlo viueret notus ac ſibi: indèq; euocatus ab INNOCENTIO X. regnante Pontifice,

in veſtrum Eminentiſs Principes Regalem cœtum Maieſtatem intulit, ac recepit. Et quoniam in Polonia tranſitus rerum magno concuſſi regni motu contigit, neq; Atlas Herculi Cœlum ſine trepidatione ſyderum tradidit; à morte Regis VLADISLAI, & calamitatibus eam conſecutis carmen ordimur, vt illi turbines, huic ſerenitati gratiam concilient, magna Regis extincti gloria, cuius ore Poloniæ pax expirauit, maiore Succeſſoris, quo electo ſtatim reuiuiſcere viſa eſt; cum inaudito authoritatis miraculo, ad nutum CASIMIRI Regis trecenta Koſacorum millia, arma, & contumaciam depoſuerint. At imperia perindè ac homines mortalia, ſuos in morbos, ſeditiones, & bella faciliùs inducuntur, quàm conualeſcunt.

CAR-

CARMEN.

SArmaticæ rubuere niues, dum triſtis Enyo
Sanguineo tragicos egit certamine ludos
VLADISLAI funebria iuſta feretro,
Sed renuere pij crudelia munera Manes.
O nunquam ſtabili fundata in cardine regna!
Quæ regio in terris felicior ante vigebat
Sarmatia, medioq; die, ſeptemq; trione,
Auroraque triumphata? poſt funera Regis
Quid Sol flebilius vidit? per regna vagatur
Bellona comitante furor, nec iura, fideſque
Obſtiterant, quin excutere è ceruice rebelli
Auderent Regale iugum, perfringere faſces
Enſibus, & iugulis Dominorum immergere ferrum.
Tantum vno clades regnorum à funere pendet.
Sed vertit fortuna vices. En priſca reducit
Sæcula, purpureo ridens lux alma ſereno,
Qua ſolito Titan radiantior æthera luſtrat,
Regiaque oſtentat CASIMIRVM purpura terris.
Proh quantus ſubitò diffuſus in omnia regna
Sarmatiæ rediijt vigor? externatque tumultu
Caſtra inimica pauor, formidine Moſchua turres
Mouit, & ignaras quæ tanti cauſa timoris
Infantes Scythici matres ſtrinxere lacertis.
Tantum mente ſalus regnorum pendet ab vna.
O longa Auguſti memorandi in ſæcula Fratres,
Tam varia in ſcena veſtro ſors plaudit honori!
VLADISLAO moriente Polonia languet,

At reuocat rurſus CASIMIRO Principe vitam:
Magnorum Regum fatis ſic voluitur Orbis.
Poſt quam dimiſſo curas Rex milite belli
Exuerat, dubiumq; hoſtes poſuere timorem,
VLADISLAVM palmæ melioris imago
Suſcitat, & Cœli donat ſperare triumphos.
Tædia victorem terræ cepere ſubactæ,
Aſtra placent, nec ſe meritis Herois Olympus
Abnegat, in terris Cælum qui texerat armis.
Ergo vbi iam properi ſenſit veſtigia lethi
Acciri mandans proceres, & lumina regni
Innixus lecto cubitum; verba vltima fudit.
Viximus ò Ciues, factis impleuimus Orbem
Magnanimis, donis populos, & cladibus hoſtes;
Nunc Cælum vocat, & gentilia Numina Reges
Adſcripti ſuperis. placida in ſtatione relinquo
Imperij puppim, quam tempeſtate regendam
Suſcepi, ſtant regna meis munita trophœis:
Rara quies deni populis Borealibus anni.
O vtinam longum pax noſtra perennet in æuum!
Sed timeo humanos caſus, vetitumque beatis
Eſſe diu, ſæuos ſcio circum habitare leones,
Et largas animæ gentes, in vtrumq; paratas
Aut donare ſuum, aut veſtrum exorbere cruorem.
Has premit, expertas, noſtræ iam pondera dextræ
VLADISLAI terror pro mille maniplis.
Quam timeo extincto ne prælia Marte retractent?
Bella, doli, clades, & centum turba timorum
Circumſtant morientem: vtinam mens fallat amantis!
Vos teſtor Ciues, exantlatoſque labores
Pro

Pro patria, vitam haud renuo differre beatam
Vt donem patriæ mortem; ruat hæc, ruat omnis
In Regale caput, tempeſtas debita Regno.
Sed ſperare iuuat caſſa omina. Nunc morientis
Extremas audite preces. Si cognita virtus
Iam pridem Fratrē CASIMIRVM ad regna vocabat,
Quæ regeret, ni ætate prior ſceptra ipſe tuliſſem,
Quæ mora nunc trabeæ tardat Regalis honorem
Spectato iuueni, bellis, ac pace? parentem
Qui pietate refert, qui Fratrem pectore, & armis.
Illà conciliat ſuperos, his territat hoſtes,
At populos vtràque beat. Fortiſsime Princeps
Turbida regna, Tibi, duris exercite fatis,
Ludus erunt. CASIMIRE tuo dulciſſime fratri
Quæ procul amplexu nos diuidit ora ſupremo?
Nulla meæ ſine Te quæſita eſt laurea fronti.
Moſchorum pariter tumulis ereximus arua,
Et Tanais glaciem poturi, ſoluimus vndam
In galeam, Auroræ penetrauimus vltima regna.
Nunc Tibi, quod licet, impono diadema Suecum,
Sarmatiam tradent alij. ſi hæc munera noſtro
Heroes dabitis Cineri, precor ipſe viciſſim,
Vt Vobis noſtri ſimiles dent ſidera Reges.

His dictis corpus pariter, lacrymaſque reliquit
Sarmatiæ, ipſe nouo decorauit ſydere Cælum.
Terrarum ò quondam ſydus, nunc gloria Cæli
Atque Aulæ ſtellantis Amor ſeptena trionum.
Aſtra ſuper curru vectus radiante triumphas
Sarmaticum luſtrans propiori lumine mundum:
Gaude ſorte tua. Non te funeſta videntem,

Tot mala turbarunt patriæ; non bella, Ducumq;
Interitus, tantis crimen peperere triumphis.
Non plenas auidis vidiſti ſtragibus Vrbes,
Ruthenumque pio perfuſos ſanguine campos.
Non tot magnanimæ ſobolis diuendita Turcis
Mancipia (heu facinus!) victæ famulantia genti.
Haud natos in matrum amplexu, in ſanguine matres
Mactatas natorum, nec pendentia equinis
Membra Sacerdotum caudis, diſcerpta per agros:
Quos inter, noſtra nonnulli è gente, rebelli
Perfidiæ inuiſi, ceciderunt victima Cælo:
Cætibus ex alijs, alij iacuere perempti.
Felices animæ! quotquot ferus abſtulit enſis
Et Romanæ odium fidei, vos pæna beauit;
Hoſtis & imprudens cæleſtes reddidit, almis
Diuorum ordinibus ſociati ducitis æuum.
Interea Rex Sarmatiæ, haud patietur inultos,
Quiſquis erit: ſed vos (neq; enim decet ira beatos)
Nunc ſanas mentes orate, furentibus armis.
Quæ nam prima mali labes? quis funeris author?
Vnde hæc ſæua lues? cur tantæ, ò Muſa, ruinæ
Dic age? nam lacrymæ potiùs quàm verba dolenti
Sufficiunt, vocemq; incluſam præpedit horror.
Vir fuit, humano ſi dignus nomine, cladis
Author inhumanæ, qui nobilitate ſuperbus,
Atque opibus claris, pluſquàm ciuile tumebat.
Hunc inter, procerumque alium de plebe minorum,
Arſerunt lites & iurgia; parta tueri
Nam minor, indignari alter, quòd viribus impar
Auderet ſecum contendere lancibus æqui.

Pri-

Primò inter famulos rixæ, mox improbus alter
Alterius domino irrumpens abſente penates
Vxorem miſeram, flagris nil tale verentem
Excipit, at natum foribus ſuſpendit ab altis.
Vxoris cruor, & lacrymæ, proliſque peremptæ
Horridus aſpectus, turpiſque infamia lethi,
Vmbraque per noctes viſa, heu deformia fune
Colla gerens! patrem furijs egere dolentem.
Quos non ille ſuis lacrymis incendit agreſtes?
Quas ira, luctuque furens non impulit vrbes?
Nec mora, coniurant, quibus aut inuiſa poteſtas
Nobilitatis erat, tenuis ſeu paupere cenſu
Fortuna, in ſolis ſpes viuere ſola rapinis.
Tum vix nata caput diſcordia tollit, & atram
Dextra facem quaſſans, bellorum incendia voluit,
Vnius proles fuerunt tot crimina noxæ.
Diſcite fas colere, ac Themidi parere potentes.
Iura licet vos nulla premant, maiorque poteſtas,
Sunt cordis tabulæ, ſunt iura recondita fibris
In medijs, & mens ſua teſtis, & vltor Olympus.
Omne nefas natura vetat, mens conſcia damnat.
Vt Regem populus, legem hanc Regnator adoret,
Hanc vbi Rex violat populi ſpreuere Tyrannum.
Eſt vnus Princeps ſuper omnia iura, nec vllum
Maieſtas vnquam patitur Diuina tribunal.
Sed Deus ipſe ſibi lex eſt immobilis, vnde
Imbuit humanas omnis ſapientia leges.
Cur legi parere piget, cui numina parent?
Sæuitiem diris meritò execrata ſuperbam
Muſa, patrem miſerum pete carmine. Sic ſcelera addis

In ſcelus infelix? ſic crimina crimine punis?
Et iuratæ acies, vnum mactare nocentem
Dum properant, omnes ſe ſe fecere nocentes?
Si natus perijt, meruit quid patria? tanto
Debuit ergo tuos luctu ſatiare dolores?
Millia cædem iſtam, nec quadringenta piabunt?
Et cadet humanum genus vni victima morti?
Deteſtande pater, nati digniſſime clade!
Quæ te pæna manet ſcelerum, quæ flagra ſub orco?
Et furor, & ſtridor, paſturæ & viſcera flammæ?
Qui patriæ reddis vitæ pro munere funus.
Sed quid ego ſolùm mortales arguo? patrem
Inſanum, pœnæ cupidum nimis, aut homicidam
Infandum, aut populos aduerſum fræna rebelles,
Si fati hæc etiam ſunt vulnera, temporis iræ?
Siue venenatæ ſtillarunt aſtra Meduſæ
Hanc rabiem, Cælumque notatur crimine tanto:
Seu propria Eumenidum ſoboles, caput erigit orco
Sanguineum, propiora vocans ad funera Mundum:
Nuſquam tuta ſalus, toto orbe, vagatur Erynnis.
Prima facem bellis ciuilibus, extulit ipſos
In Reges, fruſtra defenſa Britannia vallo
Oceani, ah dulcis nimis ebria nectare ſortis!
Quæ vacua externo, intra viſcera quæſijt hoſtem.
Nec ſatis arctoum fuit inflammaſſe rigorem;
Corripuit furor Italiam, Sirenis & almæ
Regna, ſuum belli furijs imitata Veſeuum.
Sicaniamque rogis grauioribus ignibus Ætnæ
Flagrantem, totos ſpectaſtis gurgite Nymphæ.
Inde per Aegei decurrens æquora ponti,
Threi-

Threicij furor ad fauces penetrauit Abydi,
Reginamque Orientis ſeditionibus Vrbem
Impleuit, fracti faſces, cæſique Dynaſtæ
Turcarum, atque ipſum ſolio abſtraxere trementem
Regnatorem Ebrahim, clauſique in carcere diro
Regia purpurea fregerunt guttura vitta.
Eoum imbellis geſtauit dextera ſceptrum,
Imparibuſque humeris rudis inclinata puelli
Iam dat pondus iners Othomani machina Mundi.
Perge furor, Thraceſque feros inuolue ruinis:
Hic vires effunde tuas, quate perfida regna,
Sarmatiæ ſed parce piæ. Audior, intonat æther
In læuum memores tangunt mortalia Diuos.
Vnum illi patriæ columen, regnique labantis
Fulcimentum ingens, fortunæque omnia contra
Magnanimam opponunt CASIMIRI fulmina men-
Matura Imperijs ætas exercita bellis (tem.
Dextera, tot proaui Reges, tum pectore in vno
Mille Duces clauſi, & pietati miles Olympus.
Scilicet hunc patriæ indignas miſerata ruinas
Aſtra reſeruabant Regem. Velut Annibal alpes
Italiæ muros, cum diduxiſſet aceto
Et ferro, mox victor ouans poſt funera Cannæ
Potaret Tyberine tuo lætos elephantos
Gurgite, non oblita ſuam ſunt ſydera Romam.
Sed tunc victorem Annibalis, Lybiæque futurum
Scipiadem exitio, & cognomen grande parabant.
Hæc vbi ſidereis patribus ſententia ſedit,
Sarmatiæ Diui ſe immiſcent cœtibus vltro
Heroum, occultàque manu ſuffragia verſant.

Cordà

Corda Senatorum, queis infula crines
Sacra, Sigiſmundus mulcet, Lituania ductum
Prona Iagellonis ſequitur, memor illa verendi
Sanguinis, & viuũ in CASIMIRO exemplar adorans.
At ſemper dextro audaces à marte polonos,
Et deuota Ducum fortiſſima pectora bello
Vladislaus ſubijt, natuque minorem
Germanũ CAROLVM CASIMIRO fœdere iungit.
Regibus ò genite, & Frater digniſſime Regum!
Regna Tibi meruiſſe ſatis; pietatis honorem
Anteferens ſolio, CASIMIRVM in ſceptra reponis.
At pulchrum regnare putas, ſed cedere Fratri
Pulchrius, & pluſquam regnum dare regna merenti.
Tunc externa alij remouent obſtacula Diui.
Cognato fauet hinc Iuueni Regina Sueca,
Illinc armatum ſe Brandeburgicus offert,
At merita iniuſto properantur funera Daco,
Sceptra aliena petens, ſua captus morte relinquit.
Ergo vox Procerum votis ſociatur Olympi.
Vnanimi aſſenſu, ſolium Regale, decorum
Et Patris, & Fratris lauris, vtrique futurus
Par, CASIMIRE, ſubis; regnum tibi Patria defert
Sarmaticum, regni pretium rogat ægra, ſalutem.
Sceptra cape, vt ſerues. Tu reddes otia terris
Sarmatiæ laurus, atque hoſti funera. Diuis
Sic regnare decet genitos, Diuoſque futuros.
Quis credat? paulo ante truces, & acerba frementes
Vnanimi Regem conclamant voce cateruæ,
Viuat io CASIMIRVS io, centena boatu
Iam tormenta tonant, iam Rege iubente, pharetris.

Ex-

Exarmant humeros, & ſigna minacia ponunt.
At Reges tantùm terror tremefecit Eoos,
Et Volgam, & Tanaim: lætùm ſonuere Triones,
Cantus & Arcturi Cœlo eſt auditus, in agris
Argento fulſere niues, ſua gaudia ſyluæ
Electri ſtillant lacrymas, ſua gratia pratis
Æſtiui redeunt hiberno tempore flores.
Nunquam apis iniuſſo tam multa examine truncis
Incubuit, finxitque omni ſub cortice mella,
Flumina nec ripis requierunt ire canoris.
O quàm feſta dies Orbi? quæ gaudia tentant
Europæ populos? Germania læta triumphat
Cæſareæ inuictam ſobolem regnare ſororis.
Gallia cognatum propior diadema ſalutat.
Fraternos procul in plauſus exultat Iberus.
Sanguinis Auguſti partem traxiſſe ſuperbos
Ad Rheni Comites iactat Neoburgicus, omnis
Geſtit in Arctoo generoſa Suecia fluctu
Quæ Gentis decora,& Gothicos,Suecoſq; triumphos,
Vandalicoſque animos, regnanti infudit Alumno.
Sed quamuis longo terrarum diſſita tractu
A ſceptris Rex magne Tuis iacet Itala tellus;
Illa tamen ſtudijs, votiſque, animiſque propinquans
Nunc Tibi, Regali chara imprimit oſcula dextræ.
Hìc vbi Mediceus gentis regnator Hetruſcæ
Auſtriaci generis nexu ſociatus amanti,
Et Veneta Hadriaci felix Regina profundi,
Non ſemel hoſpitijs Regem tenuere ſuperbis.
Hìc Tua plaudentes ad ſtemmata ſoluit olores
Mantua, Sarmatiæ Reginas gignere gaudens,
Cæ-

Cæſareo & thalamo Auguſtas inferre Maritas.
At ſeptem colles inclinans ardua Roma
Pendet in obſequium, & Regem Regina ſalutat.
O decus Europæ, Romæ venerabile ſydus?
Quò Te cunque vocant ſortis diſcrimina tantæ
Macte animis, nec bellorum tentare procellas
Addubita, & medios interritus ire per hoſtes.
Turbida ſunt ſemper Regnorum exordia; Cœlum
Principio trepidaſſe ferunt ad bella, nec ipſum
Sceptra ſatis tranquilla manu tenuiſſe Tonantem.
Cum raperet ferus, indociles parere cateruas
Lucifer irruptoque tumens Aquilone ſederet;
Sed bello ſtratum Michael, in Tartara trudit
Præcipitem, Cęlique nefas tumulauit Auerno.
Sed quid ego longè de Cælo exempla requiro?
Regnandi tyrocinium Pater imbuit armis,
Fraterni exortum decorauit laurea ſceptri,
Et tibi fas pariter ſolium veſtire trophæis.
Per varios caſus, per mille pericula, magnis
Imperijs. Te fata parem formare laborant.
Quæ tibi dicta dies genio, aut nox integra ſomno?
Quando animus ſine cura, aut expers hora laboris?
Scilicet vt rapitur iugi vertigine cælum,
Itque reditque viam ſol ætheris, aſtra recurrunt,
Sic Tibi, Rex, eſt vita labor. Florente iuuenta
Grande rudimentum belli, prima induis arma
Sub Patris auſpicijs, & Pruſſos marte fatigas;
Mox quatis Auroram cum Fratre, & Moſchica caſtra;
Inde coronatus lauris victricibus, auſtrum
Perſequeris, veniamque iubes expoſcere Thracem.

Tunc

Tunc pax alta domi; Genius Te ad bella propinqua
Abripuit, toto ſpargentem funera Rheno.
Illinc Luſiadum ſceptris fortuna regendis
Dum vocat, inuictum varijs Heroa fatigat
Caſibus, & fatum CASIMIRI regna ſequuntur.
Redditus es patriæ; ad thalamos comitare ſororem
Vix paulùm vacat, & Cælo mens indita longas
Suadet inire vias, ac Romula quærere regna.
Cæſaris Auſtriaci cognata exempla ſecutum
Magnanimoſque Orbis contemptus Roma recepit.
Hìc digito attoniti Te monſtrauere Quirites
Priuatum Regem, ſolem ſub nube latentem.
Hìc pia templa pedes luſtras, diuumque ſepulchra,
Celante in pannis ſe Maieſtate, ſed illis
Notus eras Princeps, qui ſenſus, quæ Tibi ſoli
Auditæ Superum voces, ad corda loquentum?
At quanti populi ſtrepitus, ardorque videndi?
Relligionis honor quantus? cum grande Tonantis
Pauperis exemplum, Regalem pro ſtipe dextram
Porrigeres? an non Tua tunc, ſi cætera deeſſent,
Firmabant exempla fidem, Romamque docebant,
Pauperiem non Rege minùs, quàm Numine dignam?
Purpurei lacrymas non continuere Senatus
Lumina, & ipſe Orbis Rector, tenereſcere ſenſit
Motu corda pio: hęc poſt ſecula longa, referre
Externos Reges, pietatis pignora Romæ?
Has fidei flammas gelidos aluiſſe Triones?
Mox cultus mutati; haud amplius inclyta Roma
Te colit vt Regem, cęleſte vt Numen adorat.
O ſortis luſum! ò ſolertia prouida fati!

Quis

Quis credat? dum regna fugis, diademata calcas,
Te magis Imperijs aptabant aſtra futuris.
Nam quos virtutum theſauros congeris, ingens
Subſidium regnaturis? mentique capaci
Vt totum infundis ſecreta per otia Cælum?
Interea ad patrios latè diffuſa Triones
Fama tui, ſine Te, redijt; tunc patria tellus
Acriùs amiſſi CASIMIRI exarſit amore.
Illa ne maieſtas generoſæ frontis, & oris
Auguſti decor, ille oculis vibrantibus ardor
Martius, externa tectus regione latebit?
Is pudor, & probitas, candor, mens conſcia recti
Sarmatiæ erepti, Latium, Romamque beabunt?
Non ita. Pontifices precibus Regalibus vrget
Frater, ne rapiant ſolijs altaria Reges.
Nobile certamen! quis tam pugnauit, vt iret
In Regnum, vt Tu pugnaſti ne ad Regna redires?
Priuatum, vt decuit, vicerunt publica vota.
Eripuit Vaticani Te purpura pannis;
Eripuit Vaticano mox purpura Regni.
O amor Italiæ quondam, lux inclyta Romæ,
Nunc decus Europæ, fulgor terrorque trionum,
Quæ Te cumq; tenet regio, aut (Rex magne) tenebis,
Seu mucrone Scythas coges vltore, cruoris
Sarmatici pœnas dare, ſeu captiua repoſces
Agmina, & infido ſua nectes vincula Thraci:
Patria, ſeu fortes reuocas ad ſceptra Suecos:
Quidquid ages, plures texunt nam ſidera laurus:
Viue memor noſtri; quos Tu dignatus amanti es
Hoſpitiò quondam, vt ſiluas dignatur Apollo,
Lu-

Lucem Oribis,centone tegens. Nunc,qualis Olympo
Dum vehit ille diem, meliori luce receſſum
Teſſaliæ, Amphriſumq; beat: ſic Tu quoque mundo
Sarmatico impoſitus, Regali è culmine, nutu
Nos dignare Tuo. Certè Tua Regia noſtris
Pectoribus fixa eſt, ęternaque viuit imago,
Quam circum memorũ vigil excubat ignis Amorum
Sis felix: ſeu bella ferant, ſeu ſecula pacem,
Omnes præbebit Diuos Tibi Roma fauentes:
Vincemus votis, quos oppugnaueris armis.

FINIS.

Digitized by Google

VENETVS
DE CLASSE PIRATICA TRIVMPHVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Eminentiſs.mo, & Reuerendiſs.mo Principi

CAROLO CARDINALI BARBERINO.

GVLIELMVS DONDINVS FEL.

VENETORVM de Piratis humani generis hoſtibus victoria, quæ rapinas, & cædes à Chriſtianis littoribus depulſas funditus ſuſtulerunt, tam ſecunda omnium gentium admurmuratione excepta eſt, vt Collegij quoque Romani muſæ, magnanimos Italiæ liberatores gratiſſimo carmine ſalutarint. Cùm enim glorioſa illa Reſpublica conſilijs, armiſque perpetuò in ſuam, atque Italiæ libertatem intenta, præcipuum ſibi, & quodammodo ſuum, commune Italorum diſcrimen eſſe voluerit, qua tempeſtate grauiſſimo bello implicata Europa, impunè graſſanti malo, aliundè occurri vix poterat, meruiſſe videtur, vt nos viciſſim lingua, & calamo, quæ ſunt arma mu-

ſarum, Venetæ gloriæ militantes, in ipſis defenſi maris Hadriatici fluctibus, trophæum immortale ſtatuamus. Vt verò Tibi potiſſimum hunc poëticum luſum in lucem denuò prodeuntem inſcribam, Princeps Eminentiſſime, Patruorum Cardinalium Franciſci, & Antonij in Rempublicam Venetam bellum contra Turcas gerentem, meritum facit, oblati à Sereniſſimo Senatu veſtræ familiæ ampliſſimi honores, Tuaque recens è noua illa ad hanc veterem patriam reuocati, in purpuratorum cœtum cooptatio. Vix enim vllum iuuenem purpuræ admotum, tanta præſentium laudum admiratione, & futurarum præſagio Roma complexa eſt; quaſi per Tuæ dignitatis auroram fortunam regnatricis olim familiæ reuiuiſcere lætaretur. Nos verò cum gaudio ſollicitudo quoque inceſſit, quia ſperamus Patruis Te purpuratis Principibus, geminis Eccleſiæ Romanæ ſyderibus, & ſæculi noſtri ornamentis, futurum parem. Quorum alterum doctrina, omniſque antiquitatis cognitione, non Principibus modò, ſed vel priuatæ ſortis hominibus anteſtantem veneramur, innocentia vitæ, ac religione inſignem, tum reipublicæ cura, & arte regnandi: Alterum etiam bellandi egregium, piamque fortitudinem in caſtris, piam liberalitatem in templis repræſentantem, ob humanitatem, & munificentiam populis, ob magnanimitatem, & fidem Regibus carum. Ambos quod de Catone, & Cæſare proditum fuit, vt opibus, ac poten-

tia,

tia, ſic animo magnos, quodque vnum deerat, vt eſſent maximi, in vtraque fortunæ pagina eruditos. Nam clariſſimum illum, ex veſtra gente, ſua reliquos magnitudine inumbrantem Vaticani fulgorem, Tibi commemorare vix audeo; memor illius Imperatorij moniti ad filium fratris: Vt Othonem Cæſarem mundo imperitaſſe, neque obliuiſceretur vnquam, neque nimium meminiſſet. Vel enim ex degeneri animo notam ſubiturum, vel dolorem ex deſiderio. Nos certè Vrbani VIII. memoriam amittere non potuimus, quanta fuerit illius Pontificis ſapientia, quanta virtus; quanta modò ſit gloria. Quæ in fama rerum geſtarum, dictorum, & carminum, in Hiſtoricorum annalibus, & panegyricis oratorum, in templis, & aris, in arcibus, & armis, in horreis, & portubus, in bibliothecis, ædibus, mænibuſque, in ſimulacris, in columnis, in tumulis perennat, & viuit. Quod ſi hæc fortaſſe Tibi mentio extincti deſiderium renouando, elicuit lacrymas, etiam gaudium adſperget. Siquidem eum, quem adhuc tener amiſiſti ſupremum Orbis terræ de Barberina Familia Principem, ante oculos ponit rediuiuum, dum celebratur. Cuius hoc loco fratrem S. Honufrij Cardinalem Capuccinorum decus tacitum præterire non debeo; quando Vos quoque illius poſt vitam ſanctiſſimè traductam morientis piam ergà Vos inhumanitatem laudauiſtis. Cùm præſul probitatis antiquæ, in cænobijs educatus, hæredem in

domo Dei quæ ſuit non in ſua, & conſeruandæ afflictæ familiæ, propagandæ ſtudium religionis antetulit. Sed longior tot purpurarum commemoratio ſuperuacanea ijs videbitur, qui maiorum in Te ſpiritus perinde multos, ac ille in Cæſaris pectore, Marios, deprehendunt. Verùm nos vſitatum Rhetorum morem tenuimus, iuuentutem propoſitis ſuorum imaginibus excitantium. Tibi autem, vt afferet ex gloria voluptatem, præcoce fructu ſpes noſtras, & vota ipſa præuertiſſe, ita cæteri mirabuntur, maturam ſummorum Principum virtutem, generoſis adoleſcentis conatibus adæquari. Vale.

V E-

VENETVS DE CLASSE PIRATICA TRIVMPHVS.

(retur
HADRIACI REGINA MARIS, quam ſerua ve-
Tethys, & obſequijs vndantibus ambit acqua-
Exere adoratam patrio de gurgite frontem: (rum,
Auguſtæque comæ decora inter priſca, recentem
Texe, triumphato quæ pullulat æquore, laurum.
Quòd Venetis gaudens Neptunus vterq; triumphis
Palmas mobilibus fixas miratur in vndis,
Et iuſto ingentes fuſas certamine claſſes;
Seu Sarraceno exundantes milite puppes,
Dum Venetos pulchra pro libertate laceſſunt,
Hadriacum nigro violarunt ſanguine pontum;
Seu Naupactæis Othomanæ in fluctibus alni
Edomitæ, Odryſiæque repreſſa licentia Lunæ,
Et Venetum largo victoria parta cruore,
Magna quidem; at laudum non hæc ſuprema tuarum.
Nunc Lybicæ furiæ, prædatriceſque carinæ,
Et pelagi commune nefas, mala publica Mundi,
Harpyæ infames, populorum ſtragibus altæ.

Ac-

Aequoreis peſtes regnis impune natantes,
Compulſæ tandem extremam cedentis in oram
Epiri, &, claudente fugam tellure, coactæ
Euomere indigno mixtas cum ſanguine prædas,
Et populorum vna tot clades pendere cladè;
Accedant Venetis monumenta nouiſſima faſtis.
Ecce tibi è Siculo grates habitura, profundo
Aſſurgens Melite, inclinatas cernua turres
Mandat in obſequium Veneti nutare Leonis:
Nam, per te clades vt leniat orba recentes,
Opportuna tulit ſolatia, mille repoſtas
Centena pro morte neces, Equitumque ſuorum
Magnanimos Libyco ſatiatos ſanguine manes.
Ipſa ferox quamquam vltricem toto æquore portat
Bellonam; & claro iam victima digna dolori
(Auguror) Odryſiæ properant ad funera claſſes.
Sed quis inacceſſæ penetrabilis angulus oræ,
Aut ſinus Hadriaco, aut Tyrrheno in gurgite portus,
Laude noua, meritiſque vacat? iam nulla quieto
Naufragia horremus pelago, nec puppe ſoluta
Quid grauius ventis, & tempeſtatibus inſtat.
I, licet, Hadriacas ſecurus, Nauta per vndas,
I, licet, Ionium quocumque vehere per æquor,
Et Ventos tantùm, Venetoſq. precare fauentes.
At dum terrifici euoluo certaminis oras,
Huc ades, vndarum Rector, ſortiſque ſecundæ
Aliger, Hadriacis melior Neptunus in vndis:
Vos etiam vnanimes cœtus, genijque minores
Aligerùm, adſpirate precor, Vatemque canentem
Laudibus à tantis tumefacto adſpergite ponto,

Con-

Conſcius, inſtar erit Aganippidos, æquoris humor.
Barbaricæ poſtquam puppes Mauruſia Claſſis,
Illyricos, Calabroſque ſinus populata, gementem
Vrbibus euerſis cinerem, ſoliſque reliquit
Littoribus lacrymas, cæptis feliciter auſis
Attollens animos, maris interiora pererrat
Hadriaci, rapiens pelago miſerabile vulgus
Seruitio, exilioq; catenis corpora vinctum,
Corpora, namque animi, longùm plorata tuentes
Littora, in excidio Patriæ fumantis inhærent.
At ſcelerata manus, ſcelus haud vulgare minatur,
Haud commune nefas; magnas ſpe deuorat Vrbes;
Te petit ante alias Cœli Regina, tuoſque
Lauretana lares Virgo: quos paupere cultu
Hoſpita terrarum implebas, nunc æmula templis
Tecta poli; quæ ne Cœli ſtatione minora
Auratiſque opibus ſtellarum, & luce micarent,
Huc hominum pietas radiantis dona metalli,
Huc Erythre congeſſit opes, hìc plurima ſeſe
Deuotam affigens ante aurea Virginis ora,
Gemmatis pietas lucet pretioſa tabellis.
Tantum Orbis decus,& caram cæleſtibus Vrbem
Vi populare parant Mauri; comitantur euntes
Terroreſque mali, &, comes indiuiſa nocentum,
Alma profanatis temerans altaria ſacris,
Impietas: Sed quis Matrem tentare Tonantis
Auſit, & humanis Diuina laceſſere telis?
Iam triſtes gemitus, captiuorumque querelæ,
Audiri faciles Superis, patria Aſtra tenebant,
Et circumfuſæ. Cœlo miſerante, replerant

Iu-

Iudicis æterni ingenti clamore tribunal,
Hæc ſuper adueniens liquidi Mens arbitra Ponti
Ingrauat, ingeminatque metus: arſere beatis
Pectoribus flammæ irarum; nam & Numina iuſta
Ira coquit, ſed quæ morſu vacat ira doloris.
Ergo ſuæ ſobolis vultus induta rubentes,
(Fulmina cùm vibrat, terrarumq. ima reuellens
Fundamenta, quatit miſerum terroribus orbem)
Hæſit Virgo diù, num mitteret ipſa Tonantis
Fulmen, & infeſtos extingueret ignibus ignes;
An totam Æoliam, nimboſq; inferret in æquor,
Obrueretque nefas pelago, atque vltricibus vndis:
Sed poterant obitus faciles, properataque fata
Millenas meritis pœnas, manſueta videri
Supplicia; atque ingens in clade ſuperbia victis,
Si caderent authore polo; grauiore litandis
Exitio, longis hauſti ſi cladibus omnes,
Tabenteſque fame, tandem victore ſub hoſte
Iuſto marte cadant, tumuloq; premantur aquarum.
Hæc vbi Virgineæ ſedit ſententia menti;
Certatim inſtantes votis flagrantibus vrgent
Cœlicolæ, Dominamque pia ambitione coronant;
Scilicet ardentes tantum decus addere genti
Quiſque ſuæ, claſſes alter ſpondebat Iberas,
Hic albæ vexilla Cruois, fert ille rubentis;
At Venetas Marcus laudes, pelagique recenſet
Iura ſui; bello quem poſtquam Diua Virago
Præficit, vlciſcique ſuos mandauit honores;
Hic properè æſtiuo iam ſoluerat axe Leonem,
Afflantem cum Sole diem, & ſtellante lupato
In-

Infrænans, celer Hadriacis equitabat in vndis.
Hoſpitis aduentum tanti, diffuſa ſereno
Marmora ſenſerunt riſu, ſenſere natantes
Diuerſis animis diuerſa per æquora claſſes,
Namq; ingens Venetâ ſceleratum excindere Maurum
Ardor habet, plenoque maris ſubit oſtia velo,
Carcere Neptuni Libyam clauſura liquenti,
Maurorum contrà fera pectora concutit horror:
Mirantur, ſubitæ vnde rates inopina ſuperbè
Bella inferre parent bellum portantibus vltrò?
Inſignem ſpolijs, exultantemque rapinis
Deſperare fugam, victorem carcere claudi;
Et prædatricem iam prædam euadere Claſſem?
Nec mora, conuerſis, quoniam fortuna iubebat,
Certatim relegunt, fugientes, æquora roſtris,
Quæ modo victrices inſultauere carinæ;
Si qua forte via fauces perrumpat apertas,
Et nondum obſeſſo labatur ab æquore claſſis.
Sed nemo ſe poſſe fuga vitare ſequacem
Vim fati, inuitoque ſalutem ſperet Olympo.
Apparent Veneti longè, extremiſque carinæ
Fluctibus, abiegno ſeruantes æquora vallo.
Heu quid agant? varijs mens æſtuat anxia curis:
Inuictam fortuna, inuictam robore gentem
Horreſcunt, ſed turpe fuga luſtrare latebras,
Et, peritura fame ſubducere corpora ferro.
Vſque adeo ne piget pugnare, & nobile lethum
Incertæ præferre fugæ? Stat tendere in hoſtem;
Quid grauius metuant morituri? ſæpè ſalutem
Optatæ peperere neces: ſic ille cruentus

Va-

Digitized by Google

Vaſtati reus armenti, latrante corona
Septus, in obſtantes Leo dente, atq; vngue cateruas
Irruit, hoſtileſque fugam ſtrauere ruinæ.
Quòd ſi ſumma dies, & fata nouiſſima perſtant,
Deſuit vnda fugæ, deerit non vnda ſepulchro.
Talibus inter ſe furijs, dum turbida verſant
Conſilia, extremis Marcus præſenſit ab vndis,
Et Venetum monuit Ductorem: deinde volantem
Neptuni impellens per cœrula dorſa Leonem,
Mulcet inæquales fluctus, pelaguſque ſerenat,
Vt purum pateat Dominis pugnantibus æquor.
Ipſe procul vitreo viſurus ab aggere pugnam
Conſtitit; in ſpeciem curui ſinuata theatri
Vndique Cœlituum manus officioſa minorum
Innumeris Regem medium cinxere choreis.
Interea iuſſi horrificis Tritones ab alto
Inſonuere tubis, deſueto exterrita cantu
Ingens nautarum terror procul ipſa Charybdis
Fluctibus in medijs trepidat, vaſtoque latratu
Scyllææ fugere canes, extremaque murmur
Reddidit Ionio rabies vndoſa profundo.
At geminæ aduerſo concurrunt æquore claſſes.
Inde bis octonæ Maurorum robora puppes
Ludum ineunt ſæui Martis; ſectantur euntes
Vltrices cæſorum vmbræ, furiæque ſonantes
Verbera, & infauſtas ſtyx multa ſuperuolat alnos.
At ſcelerata cohors, non ære, armiſque decoris
Læta, nec in lituis, ſonituque canora tubarum:
Omnia neſcio quid triſte, ac ferale queruntur
Æra tubis, ferrugineis it fulgor ab armis

Hor-

Horrens, ſanguineus, nec Mauri gratior oris
Aſpectus, ſed vibrato Gens nigra capillo,
Torua ſupercilijs, cui nox fera pectoris, atros
Horrificat vultus, vicinaque pallor in ore
Fata notat, votumque mori: procul hinc tamen omnis
Eſt metus, audacem extremi fecere timores.
Parte alia Veneti lucent ſpectacula Martis.
Bis denæ aurata radiantes puppe carinæ
Gaudentem nitidis pingi ſplendoribus vndam
Infindunt ſulcis, duplicataque pinea belli
Machina, in vndoſis caſtella natantia campis.
Ortygiam credas pelago, Delumque moueri,
Cumque ſuis geminos ſyluis incedere montes.
Has agit in bellum moles, ſpatioſaque complet
Æquora Marcellus, quo Patria diues alumno,
Romano Venetum Marcello opponere gaudet.
Vtraque digna parens heroum, atque inclita bello
Regia magnanimæ ſobolis, genteſque remotas
Imperijs amplexa; ſed hæc viuacior illa
Libertas, metam immenſi nec proſpicit æui.
Emicat in ſumma Regalis puppe triremis
Purpureus claſſis ductor CAPELLVS; auorum
Splendidus à titulis, ſed clarior ipſe ſuarum
Fulgure virtutum; nam certant, quæ magis artes
Emineant belli, an pacis, ſic lumina miſcent
Ex æquo, laudeſque fouet Bellona togatas.
Primus anhelantem tonitruq; & fulmine Martem
Inuitat Venetus; contra ferale remugit
Barbarus; at ſubito tormenta tonare boatu,
Aera ſono, ſtridore vndæ, clamoribus æther.

Imbre ſagittarum, fumoque offuſa recenti,
Fit ſua nox pelago, quam fulgure diſcutit atro,
Vulnera mille globis, & fata volantia portans,
Flamma minax: caluere vndæ, ſed præſcia fati
Corda rigent Mauro, cùm fulmine ferrea crebro
Tempeſtas, quaſſatque rates, puppeſque reuulſas
Milite præcipitante rotat, ſpargitque gementes
Cum trabibus iuuenes, fractos cum remige remos,
Vt ſit iam votum integros occumbere; parti
Sæpe ſui laceræ concurrunt ſparſa per vndas
Corpora: triſte rubens ſub clade remurmurat æquor.
At Venetam nullo fœdatam vulnere Maurus
Miratus claſſem, diuerſaque numina cernens,
Littora prima fuga quærit, feſſaſque Velenæ
Dirigit ad portum proras; fugientibus inſtat
Victor; ſed trepidum (quis credat?) in æquore amicæ
Defendere neces hoſtem, ſtrageſque ſuorum
Profuit, incurſu cum ſe obijcientia crebro
Tardarent Venetas inimica cadauera proras.
Anteuolat Maurus, portuque reconditur alto,
At Venetus ſubit, & clauſum obſidione coronat.
Illi diffiſi, pelago victiſque carinis,
Credere ſe terræ; moliri in littore moles,
Aggere arenarum, tum propugnacula foſſis
Cingere, & erecto tormenta imponere vallo.
Sic aditus ipſos portus, primoſque receſſus,
Quà longo inſinuant terris ſe ſe æquora tractu,
Obſtruere arte parant, claſſemq. ſub arce receptam
Mille catenatam vinclis ad littora ſiſtunt,
Dùm noua ſubſidia è Lybia portantibus Aſtris,
Eru-

Erumpant pelago; ſed nulla imperuia forti
Eſt via; inacceſſumque inimico ſanguine virtus
Laxat iter: poſtquam auxilio properare carinas
Fama tulit, Veneti irrumpunt, & Marte ſecundo
Tormentis quatiunt furialibus oſtia portus
Clauſa: flagellatæ ferrato fulmine moles,
Æquanturque ſolo, grauibuſque repente ruinis
Cuſtodes texere ſuos; tellure ſub alta
Turba ſuperſtes aquis premitur, ſtragique natanti
Pondera liquentis leuia inuidere ſepulchri.
At claſſem in portus Ductor CAPELLVS ouantem
Impulit; ante ſecurigero cum milite cymbæ
Præmiſſæ, hoſtili nudatas milite puppes
Inuadunt, rigidaſque in ferrea vincla ſecures
Terque, quaterque vibrant: ex alta proximus arce
Contra Maurus atrox furit, ardentique pilarum
Deſuper imbre tonat, nec dextras irrita fallunt
Tela, ſed inueniunt vicino vulnus in hoſte.
At Venetum haud ſurgens belli maioris imago
Sæua, nec alatæ mortes, animoſa retardant
Pectora, quin duro pars vincula ferrea ferro
Vincere, pars puppes Venetis adiungere proris
Hoſtiles: Maurus caris nil linquere inauſum
Pro ratibus, neque enim victorem parua ſequuntur
Prœmia, ſed magnam rapere, aut defendere claſſem.
Et decreſcebat Veneto iam militis vſus,
Cum fortes certo laceratæ vulnere dextræ
Deficerent; tunc, miro inter ſe fœdere, belli
Diſpenſare vices, nam ſi quis inutilis ictu
Hæſerat, oppoſita hic membrorum mole valentes

Protegere, atque aliena libenti pectore ferre
Vulnera, dum Chalybum iuncturas diſſecat alter
Morte ſua ſecurus: & officioſa fauorem
Magnanimis fortuna tulit, virtuſque repreſſit
Vulneribus fugientem animam, dum claſſe ſoluta
Tandem omni, palmæ iam certi occumbere poſſent,
Victoreſque mori. Salue ò generoſa Iuuentus,
Heroum magnis veterum virtutibus æqua:
Seu quorum lacrymans Victoria funus honorat,
Et venerata Thetis cineres tegit omnibus vndis;
Seu quos gaudentes tanto ſupereſſe decori,
Monſtratos diſcit vultus, & nomina vulgus;
Nulla dies veſtro metas imponet honori;
Dum tumidi ferient Epiri littora fluctus,
Dum Veneta æternos libertas viuet in annos,
Imperiumque Leo Pelagi Regnator habebit.
Iam claſſem Libyæ, Mauro lacrymante, trahebat
E portu victor Venetus, prorisque recedens
Obuerſis arci, baliſtarum ora tonantum
Opponit, ſeruans pacata ſilentia ferri
Ille quidem, pactique memor; ſin prouocet hoſtis,
Ære tonare minax, & reſpondere paratus.
At poſtquam Claſſis portus intacta nocentes
Egreditur, domitas rapiens victricibus alnos
Puppibus, & toto vexilla natantia ponto;
Lætitia, plauſuque ſonans vndoſa per arua
Victor abit, ſtragem, victis lacrymaſque relinquit.
Quem chorus Aligerum hac abeuntem voce ſalutat;
Vade triumphator, geminiſque ſuperbe trophæis,
Nam ceu veſtra ſatis non eſſent ampla triumphis
Ae-


Aequora, littoreis palmas ſparſiſtis arenis,
Victorem vt Venetum terræque, & pontus adorent.
Remige dein penna, ſupremas nauigat vndas
Cœlituum manus, & lætis rumoribus Vrbem
Peruolitans Venetam, choreis, cantuque coronat:
Pande ſinum tantis vndantem pande triumphis,
O Maris Hadriaci vindex, crinemque ſuperba
Impediens, qua te decorat victoria, lauru,
Laude noua fruere: en plauſu tibi perſonat omnis
Italia; indignam per te ſolata ruinam
Nicoteræ, grates agit, & gratatur honorem
Parthenope, Cereris tibi proxima plaudit alumna,
Hadriaciſque fretis generoſa remurmurat Ancon,
Illyricæ vicina canunt dum prælia ripæ.
Te decus Europæ, caræ te nobile dicunt
Præſidium Italiæ; nam propugnacula, firmas
Piratis claſſes, & celſas gentibus arces
Obijcis Odryſijs; Italis, tu prima minacem
Nunc bello frœnas, placas nunc pace, Tyrannum:
Auſoniæque ſalus, Venetæ commiſſa ſaluti
Ore tuo ſpirat, quæ te vincente triumphat,
Te nutante tremit: naualia fœdera teſtor
Et Veneto Europæ trepidantia fata labori.
Terrarum ò cuſtos, ò libertatis aſylum!
Libera millenos viuis Regina per annos,
Aeternos iam viue: & cum deuota ſaluti
Italicæ pugnes, meritò tibi pronior æther
Militet, & Cœlum excubias agat omnibus aſtris.
At qui ſceptra DEVS medijs tua fixit in vndis,
Immotæque dedit rapidos contemnere ventos,

Donabit bellorum alias ridere procellas,
Vt tecum æternum libertas Itala regnet.
Hæc vbi dicta: chorus cœleſtis peruolat omnem
Europam, & tacitis mortalia Numina mundi
Vocibus increpitat: Venetis ſic bella geruntur
Auſpicijs, numquam merito caritura triumpho,
Queis benè Barbarico creſcentem ſanguine pontum,
Surgenteſque cadaueribus per littora moles,
Nemo pius doleat. Vos contrà Marte fouetis
Ciuilis furias belli, quo qui cadit hoſtis,
Victori cadit ipſe ſuo lacrymabilis hoſtis.
Parcite cognatas in gentes vertere tela,
Infidos Thracum melius bibitura cruores.
An fudere parum Regales ſanguinis iræ?
Arctoæ tepuere niues, & cladibus aucta
Belligerum populorum, altoque fluentia tabo
Flumina, purpureum pelago inuexere tributum:
At pater Oceanus lugentibus excipit vndis
Inuitus toto fluitantia funera Rheno.
Iam deſolati ſqualent cultoribus agri,
Nec veniunt, niſi quas genuere cadauera, fruges.
Pro viridi ſpica, pro dulce rubentibus vuis,
Triſtis inhorreſcit meſſis Mauortia ferri,
Et calidi ſpumat vindemia dira cruoris,
At quæ tam duro remorari barbara bello
Agmina, Chriſtiadum innumeros potuere triumphos,
Si coniuratis coniuncta Hiſpania Gallis,
Auſtriacas Veneto ſociaret robore vires?
O Domus Auſtriadum, Imperio, Regniſq. ſuperba:
Cur tua iam fruſtra queritur Germania, magno
Cor-

Corpore Pannoniam, Turca lacerante, reuulſam?
Si Sol occiduus tibi ſeruit, ſeruit Eous,
Æſtiuo cur Orbe latet, mediumque recuſat
Virtus veſtra diem? nec multo Sole coruſca
Zona, triumphalem præcingit torrida veſtem?
Africa terra prope eſt, vix æquoris intercurrit
Lenta mora; Hiſpanis cur non coniungitur armis?
Illa quidem egregio madefacta eſt ſanguine tellus,
Seruat adhuc veteris littus veſtigia cladis;
Luſiadum cineres ſqualere ſinetis inultos?
Teque, ò Sequanici Rex inuictiſſime mundi
Frœna regens, Aſiam contrà qui ſufficis vnus;
Ah te laudis amor, te gloria tangat auitæ:
Veſtra Palæſtini ſuſpirant Lilia campi,
Diuinumque, canum nunc præda, heu priſca repoſcit
Serta, coronali Gallorum à flore Sepulcrum.
Quin Bizantinum veſter ſibi deuouet enſis
Sanguinem, adoratos horrebit Thracia faſces,
Thracia, ter quondam Francas experta ſecures;
Marte licet confiſa ſuo, rabiemque furoremque,
Et bellorum hyemem vicino accerſat ab Hæmo.
O nobis niueo fauſti tunc lumine Soles!
O vos cœleſti bellorum ardore beati!
Talibus Aligeri repetunt dum ſidera dictis
Incendunt etiam Superos: tam iuſta frementes
Arma probant, totumque abiens in fulmina Cœlum,
Digna parat ſacris armamentaria bellis.

FINIS.

Digitized by Google



LVSTRALE
COSMI
TERTII
MAGNI HETRVRIÆ
PRINCIPIS
LAVACRVM.

Digitized by Google

Digitized by Google

FERDINANDO II.
MAGNO HETRVRIÆ
D V C I.

GVLIELMVS DONDINVS FEL.

Carmen à me in Romano Collegio dictum, cum luſtrale Coſmi Filij Tui lauacrum in corona Purpuratorum gratularer: ijſdem inuitantibus ad celebritatem famæ, audaciam publicæ lucis Tuis ab auſpicijs mutuatur Sereniſſime FERDINANDE. Cum enim argumenti Regalis maieſtati Roma tunc aſſurrexerit venerabunda, in ſpem venit non immeritò fore, vt venerator Orbis terrarum accederet, fulgorem Tui Nominis operis in fronte contemplans. Neque noua hæc confidentia Heliconis, & Pindi Reginis ad patrocinium Hetruſcorum Principum conuolandi, qui à deſertis illas Græciæ collibus & fontibus ad Apenninum, Arnumque deducentes, & Regia liberalitate ſuſtentantes, effeciſtis, vt gentile Mediceæ Familiæ ſit non minus faucre Muſis, quam Muſarum carmina promereri. Cum verò in contentione noſtra fluuiorum palam fiat, omnia ferè Europa regna veſtro ſanguine occupari; ſi Regale ſupercilium ad hæc legenda demiſeris, non alienis videberis indulgere, ſed Tuis, atque ipſi Tibi; à quibus hæreditatem accipit Coſmus Filius, cum famæ, ac ditio-

nis

nis ampliſſimæ, tum virtutum, domeſticæ gloriæ thyrſo indolis teneritudinem excitantium.

Nimirum aut ſæculi noſtri amor me fallit, aut vix vllam Familiam priſca ætas tulit abundantem tot, ac tam varijs heroicæ virtutis exemplis. Nam Coſmum illum ſeniorem veneramur, imaginem togatæ maieſtatis: Arbitrum Regnorum Laurentium: ſuprà Leonem non adſpirat Pontificum, & Cæſarum munificentia, nec ſuprà Ioannem animoſitas militaris: In Coſmo Primo Magno Duce ſuſpicimus fundatorem Imperij: parem Mundo mentem in Ferdinando: Coſmo Parente liberaliorem, pauperes in vota effuſi, vſque ad delicias, non optabunt. Sed de his alijſque aut legimus, aut narrantibus credimus: Te Pietatis, Iuſtitiæ, charitatiſque in populos exemplar viuum & miramur, & fruimur. Neque in tanta virilis virtutis vbertate ſterile fæminarum ſæculum fuit, quin ſexum egreſſæ ad virilem laudem aſſurgerent, poſt geminas Galliarum Reginas, aliæ noſtræ ætatis Heroinæ; & præcipuè VICTORIA Sereniſſima Coniux, quæ generoſos illos ſpiritus plurimum Claudiæ Matri debet acceptos. Nimis hæc multa fortaſse vltra epiſtolæ modum, ſed non extra conſilium profitentis poetæ, ſe in laudibus veſtris non fingere. Cum enim res pretioſa, Deoque ſimillima, vt ait ille, ſint boni Principes in orbe terrarum: numquam illorum laudes excedunt modum, ſi laudantur ex vero.

FLV-

FLVVIORVM CONTENTIO DE LVSTRANDO AQVIS SVIS IN BAPTISMATE

COSMO III.

MAGNO HETRVRIÆ PRINCIPE.

ERgo etiam gelidos vrit ſacer ambitus amnes,
Et violens placidis diſcordia regnat in vndis?
Haud equidem humanum bacchari flumina credam
In morem, irato qualis ſe gurgite tollens
Fingitur immiti Xanthus congreſſus Achilli.
Sed vos ſiderei proceres, qui ſceptra tenetis
Fluuiorum, dum Mediceum luſtrare lauacris
Infantem ardetis, veſtroſque affundere rores,
Ambitione pia furias agitaſtis aquarum.
Nec lites animos, aut anxia bella beatos
Sollicitant, nec fas; verùm ſtat iura tueri.
Ante Deum, ſeruatque ſuam diſcordia pacem.
Poſtquam Mediceus hauſit ſol munera lucis,
Et dedit Hetruſcis populis, iactantior Arnus
Intumuit Rectore nouo, feſtoque ſonantes

Mur-

Murmure voluit aquas, at nubifer Apenninus
Lætitia exultans, iacit inter ſidera frontem,
Aerias facunda ciens ad carmina quercus,
Queis aſſultauit ſcopulis vocalibus Echo.
Nec minus in Cælo pertentant gaudia mentes
Aligerum, quos Mediceæ cuſtodia gentis
Tangit, & Heroum felix Hetruria partu.
Sueta ſuam lauris Hetruria cingere prolem,
Timpana ſeu quatiat Mauors, ſeu plectra Camenæ.
At dum luſtralis Populi ſollennia pompæ
Rite parant, cuſtos Infantis Principis Ales
Dat ſignum Cælo, ſuperoſque ad ſacra Quirites
Conuocat: ingentes ea res audita tumultus
Cuſtodes inter fluuiorum exciuit, & ipſa
Ambitioſa graui ſtrepuerunt flumina motu.
Nam ſibi quiſq; decus tantum, magniq; Lauacri
Grande miniſterium, & tingendi Principis ambit,
Regalemque ſuis implere canalibus vrnam.
Ergo ruunt omnes in litem, occaſus & ortus,
Et quos Auſter alit fluuios, ſeptemque Triones,
Mediceum Infantem totus ſibi vindicat Orbis.
Nec titulis caret ambitio, argumenta feruntur
Certatim, memorat latijs qui præſidet vndis
Pontifices terris, Cæloque, ereboque potentes
Mediceos, & Roboreos. At Sequana magnas
In Regum thalamos, & Gallica ſceptra receptas
Reginas, Oenus te Claudia Mater adorat
Archiducum, Hetruſcũ Lotaringo ſanguine mixtum,
Moſa refert, Iſter gelida quas miſit ab Arcto
Ad ſolium Tyrrhenum, & Mediceos hymenæos,

Cæ-

Cæſareas canit Archiducum, Regumque ſorores.
Quid referam tumido quæ perſonat amne Metaurus
Murmure lympharum, aurarum geminante ſuſurro,
Nomen adoratum, fauſtum (VICTORIA) nomen
Regnatis populis, ſub amata Roboris vmbra?
Maternos quin iactat auos, terraque marique
Parta trophæa Ducũ, & patrijs ſpolia addita templis.
An quos Cycnorum confuſos voce, canoris
Mincius edit aquis plauſus, veneratus Hetruſcas
Reginas referam? Scultennæ an cara cientis
Nomina Virginiæ? an Taro quos fundit ab omni
Ripa ſonans? vbi Medicei Farneſia flores
Lilia fœcundant, quæ Margarita beato
Connubio, & pulchra natorum prole coronat.
Vos quoque anhelantes tantæ certamina palmæ,
Amnibus in gelidis, lymphæ exarſiſtis Achiuæ.
Hinc caput antiquum generis, venerantur Athenæ
Palladiæ priſcos Dominos, à ſtirpe vetuſta
Mediceos proauos, & clari ſanguinis vndam
Fonte ſacro, Italicæ Graia incunabula gentis.
Quis credat Solymæ auditos à finibus vſque
Iordanis fremitus? veteris dum nomina Coſmi
Carminibus certant citharîſque attollere Cælo
Iſacides Nymphæ, Coſmi qui munera fundit
Largus, vbi vitam fudit Deus, & Solymam auget
Hoſpitijs, templiſque alio ſub ſole iacentem.
Quin ipſum fama eſt ad tantæ præmia laudis
Adſpiraſſe mare, & nulla tentante procella
Tyrrhenos latraſſe ferunt in littora fluctus.
Dum ſibi luſtrandi Regis decus, omnibus vndis

Arrogat, aſſuetum victrices æquore toto
Ferre rates, roſeaſque Cruces, tum rapta Tirannis
Threicijs ſpolia, & nequidquam Aquilone fremente
Mediceos dorſo placido portare triumphos.
Ergo dum tantos animorum flumina motus
Concipiunt agitante Deo, & maria alta rebellant,
Ipſe pater Tyberis, Tyberis regnator aquarum
Heſperidum (neque enim ambitio fraterna veretur
Vincula) ſolemnes vetat Arnum attingere pompas,
Ante Pronæa ſuo quam totam examine cauſam
Ponderet, & litis ſtatuat victoria finem.
Ipſi pennigeros celerant trans æthera greſſus
Siderei Reges fluuiorum, ad limina Diuæ.
Eſt locus æthereo Lunæ candentis in orbe,
Stellarum poſtrema ſolo quà proxima currit,
Auguſtæ domus, immortalis & aula Pronææ.
Hinc Dea ſubiectum dè Cælo prouida Mundum
Spectat, & æternis verſat mortalia curis.
Illinc Cælicolæ vigiles, Diuæque miniſtri
Aligeri, qui terrarum moderamina curant,
Si quando dubias tenuit diſcordia mentes,
In dubijs diuina petunt oracula rebus.
Illinc res hominum pendent, & lubrica fata
Regnorum, quidquid fortunæ adſcribere gaudent
Ignaræ mentes, trutina libratur in illa
Ante diù, ſortemque trahunt conſulta ſequacem.
Ac velut vndoſum dum currit nauita Pontum,
Et modò velorum tranſuerſis excipit alis
Obliquas hyemes, recto modò cærula curſu
Diuidit, attoniti turbantur pectora vulgi

Ar-

Artis ad ignotæ ſtrepitus, fallacia ridet
Iudicia, ille viæ medijs ſecurus in vndis,
Non intellecta clauum ratione gubernans.
Huc vbi Rectores fluuiorum atque æquoris alti
Conuenere, prior latias qui temperat vndas,
Reginam ſupplex veneratus talibus infit.
An quiſquam temerè hunc ſacri luſtralis honorem
Inuideat tantum Tyberi? cui flumina parent
Terrarum, cui ſerua Thetis, quem Tartara pallent,
Parent, ſi qua fluunt rutilantia flumina Cælo.
Omnia qui ſacræ moderor ditionis habenis
Munera tanta mihi, ſed debita munera poſco,
Eliciens Tuſcis tyberinas fontibus vndas
Mediceis Ducibus ſubdo caput; inde per amplum
Euoluor Latium, ſtirpi regnatus Hetruſcæ
Non ſemel, & ſenis ſupponens orbibus orbem.
Nam quales olim iactabam lumina regni
Romulei, priſcos Fabios, magnoſque Catones,
Scipiadumque animos, nunc Numina Vaticani
Imperij, tot Medicea de gente profectos
Pontifices, tot Roborea de ſtirpe reuoluo.
Nec tantum Auguſti ſe mundi fama per aures
Intulit, innumeris tenuem ſeu Pallada donis
Subleuat, occiduis palmas ſeu miſcet eoas:
Quantum vnum totus canit Orbis, & omnia latè
Secula iactabunt Decimum Romana Leonem.
Hoc felix regnante fuit mea Roma, nec vnquam
Auſpicijs viguere bonæ melioribus artes.
Purpureo diues ſapientia fulſit in oſtro,
Et doctæ gemmis opulentæ, auroque ſorores

Reginas cultu pharias vicere ſuperbo.
Quin & dilectum Muſis Bellona Leonem
Fouit, & inſigni Victoria fronde coronat.
Milite dum Lario nixus, ductore Columna
Inſubriæ caput expugnat, Parmaque recepta
Reſtituit Petri ſubiectas clauibus Vrbes.
Sed neque te ſileam Clemens, inuicta gerentem
Pectora fortunæ, & contraria fata domantem
Conſilijs. Hic infenſos nuper, ſibi iungit
Sanguine, Gallorum Auſtriaco cum Cęſare Regem.
Hic Patriam Genti, & florentes reddit honores,
Tam lætos ſtatuit fines fortuna malorum.
Iam tibi non impar ò Cæſar, Iulius alter
Roboreus, fulgens Materni ſanguinis aſtrum,
Surgit ad æquales rerum moderator habenas.
Sed Romæ hunc clypeum fatalem, hoſtemq; Tyrannis
Terribilem, Martemque pium Tyberinus adorat.
Te Patriæ, & Mundi excidijs effudit Enyo.
Illo ſigna Petri, Romanaque caſtra mouente,
Contrà ſtare nefas, Vrbeſque, acieſque cadebant,
Surgebant illo languentia regna fauente.
Vſque adeò Latij properans ad claſſica Martis,
Semper Iulæis meruit Victoria caſtris.
Ante diem Phœbus condat, referatque renatum,
Quam vacet annales ſacrorum euoluere Regum,
Et trabeas Patrum innumeras, & quidquid vtramq;
Muricis in Gentem fluxit de fonte Latino,
Dum ſacra gentili procerum ſe miſcuit oſtro,
Plurima & inuenit, faceret cum purpura, Reges.
At quò Romulei Maieſtas prima Senatus,
Ita-

Italiæ decora, & Patriæ florentis amores,
Me gemini rapitis CAROLI? concordibus alter
Cum Patribus, magnum Rectorem ſufficis Orbi,
Et triplici meritam cingis diademate frontem:
Alter ab imperijs, & claſſe vocatus Ibera
Ad Petri puppim Cæli æquora decurrentem,
Belligeram placida mutaſti caſſida mitra:
Per vos Heroes, quos Tibris, & Arnus honorat,
Conſtet honos Tyberi, & Latijs ſua gloria lymphis,
Mediceamque meis augete liquoribus vrnam.
Hæc Tyberis Præſes: Cuſtos tunc incipit Arni.
Sydere ſub Tuſco genitum, florentis in Vrbis
Amplexu, & Patriæ cunabula cara prementem
Infantem, patrijs luſtrari poſcimus vndis.
Quem lauit Aſſyriũ Tyberis, quem Sequana Parthũ?
Quòd ſi Mediceos libeat componere faſtos,
Et legere Heroum populum, cui copia maior
Quàm mihi, Medicei qui ſanguinis educo fontem?
Vna Domus, pacis proceres, gentemq. togatam,
Magnorumque Ducum diademata, fulmina belli
Vna tulit. Iactet (neque enim mea dona retracto)
Pontifices Tyberis, magnorum Sequana Regum
Reginas ſocias, omnes his ſedibus ortos,
Qualeſcumq; plagas, quodcumque in nomen ituros,
Luſtrauit patrius lymphis natalibus Arnus.
Sed iuuat Heroes externa in Regna profectos,
Externos veluti mihi diſſimulare, meumque
In cenſum referam tantùm, quos patria numquam
Diuiſit gremio, nutricis & vbere ripæ.
Et mittam veteres: ſeu te, Silueſter, amantis

Præſidium populi, aut Verium, quem purpura fruſtra
Imperij oſorem ſequitur, faſceſq. dolentes
Contemni, ad Coſmum propero, regalibus ipſos
Æquantem gazis, generoſo & pectore Reges,
Se tamen, atque ſuos priuati lege tenentem.
Indidit huius Magni nomen clariſſima virtus.
Magnus in erectis ad fulgida ſydera templis,
Regalique domo, patriæ moderamine magnus,
Et quoniam inuidiæ furijs agitatus iniquis,
Magnus in exilio. Hadriaci Regina profundi,
Extorrem Patria, Venetis adiungere gaudet
Patritijs Coſmum, Regumq; augere Senatum,
At patria inuidit rurſus, ſolemque latentem
Æquore, natales Arni reuocauit ad vndas.
Hic ſemel amiſſæ intendit virtutis amores,
Haud vnquam gremio diuelli paſſa, parentis
Et patriæ titulis tumulos ingentibus ornat.
Viuentem Patriæ Ciceronem Roma parentem
Dixerat: extinctum dixit Florentina Coſmum,
Omnis adulantum cum ſpes præciſa fauori eſt.
Magnus auo magno non inferiora ſecutus,
Fortunæ, & virtutum heres Laurentius inſtat.
Hunc olim Auctorem pacis communis adorat
Italia, æquali lances in mente gerentem,
Et ſuſpenſa pari librantem examine regna.
Quem poſtquam eripuit miſero mors inuida ſæclo,
Concentus ſiluit turbato fœdere pacis:
Ceſſante vt quondam Phœbo, ſi credere dignum eſt,
Mutatum errantes pondus ſenſere quadrigæ,
Et Phaethontæo fumauit funere Mundus.

Qua-

Qualis ab ingenti vena de montibus altis,
Erumpit tumidus natiuo gurgite torrens,
Inque viæ ſpatio largis cumulatur aquarum
Diuitijs: clara ſe talis origine fundens
Mediceus ſanguis, quò longiùs aſpicit ortum
Exundans prole Heroum vberiore ſuperbit.
Quis poſt Laurentes, poſt Magni nomina Coſmi
Vlterius faſtis accedere poſſe putaret
Mediceis? Mundi tot latè ſceptra gerentes
Pontifices, toto bellantum fortiſſima corda
Heroum, Magnoſque Duces? Te Coſme regendis
Imperijs fauſta Capricorni luce vocatum,
Artibus egregijs pacis, bellique laborum
Ardua Medicei fundantem exordia Regni;
Quem propter meritos ſumens Florentia faſtus,
Vno, eodemque duos decorat cognomine Coſmos,
Ciue illo Magno, Te Magno Principe gaudet.
Præterijſſe nefas Ioannem prole ſuperbum
Regnatrice, Ducum fontem de Matre trahentem
Sforticaca, Italiæ Martem: quem in clade maritorum
Externæ vxores vlularunt crine ſoluto,
Barbara Tyrrheno deuaſtantem agmina ferro.
O nimiùm infauſti Italiæ infelicis amores,
Delitiæque breues ſemper! dum caſtra flagellat
Impia Mediceum fulmen, proturbat & hoſtem
Victor, & Eridani defendit in aggere Romam:
Tormenti maiore globo fatalis Erinnys
Perculit, ingentique adimens mox vulnere vitam
Immeritam, primum annorum præflorat aprilem.
Tunc hoſtes domitum tranſmiſit flumen ouantes,

Mediceumque ſuo ſociauit funere funus
Auſonia, indignas Maieſtas paſſa catenas,
Et ſpoliata ſedens captiuo in puluere Roma.
Quem ſi fata ſuos paterentur ducere curſus
Tu Dea, tu noſti, nec prædæ Roma fuiſſet,
Regna nec externæ ceſſiſſent Itala Genti.
Cladibus ò tandem ſaturata quieſcite noſtris
Numina: & Italiæ Laurentem reddite pacis
Authorem: aut ſibi bella placent, hos reddite Martes:
Inuictum & Proauum referentem pectore, & armis
MATTHIAM geminate meum. Sic dixerat Arni
Arbiter, & ſocijs pauca hæc mirantibus addit.
Verùm inter meritos nomen memorabile Reges
Nil FERDINANDIS ſapientiùs inuehet vnquam
Orbibus Aſtrigeris argentea buccina famæ.
Ambo animis, clari factis Regalibus ambo,
Egregijque operum, fortunatique laborum,
Poſterior pietate prior, de ſanguine Coſmi
Quam trahit, Auſtriacæq. haurit cum lacte Parentis.
Illum, ſeu patrios populant contagia campos,
Prouentu ſeu pigra ceres reſpondet iniquo,
Sparſi auri riuis, & quæ pretioſior auro eſt,
Regali cura, ſolantem vulnera fati
Soſpes adorauit Tyrrhenus; pacis amantem
Iuſtitiæque, ſed armorum, bellique capacem,
Si pacem Italiæ fatum lugubre repellat,
Et Martem vocet Europæ communis Erynnis.
Tum capiti ſtatuunt victrices ſydera laurus
De debellatis Lybiæ, Lunæque ſagittis.
Hæc Arni Cuſtos, reliqui diuerſa frementes

Cæ-

Cęlicolæ, vt partes longo poſt tempore tandem
Orauere ſuas, litem diuina Pronæa
Soluit, & his mulcet diſcordia pectora dictis.
Syderei Proceres, magnum affectatis honorem
Promeriti, nec iuſta ſinam vaneſcere vota.
Omnes luſtrali cupitis miſcerier vrnæ,
Luſtrali latices fas vrnæ infundere veſtros,
Haud longus labor eſt, animos adhibete, docebo.
Omnibus vt fluuijs communem præbeat ortum
Terra parens, laxans gremium ſub rupibus altis,
Nota ſatis: vobis illic natalis origo
Proxima, finitimi fontes, quibus erumpentes
Ambitis vaſtum ſinuoſis flexibus orbem.
Ite ergo, & veſtros pariter confundite fontes,
Vicinaſque Arni miſcete canalibus vndas.
Ille ſuperfuſis gaudens humoribus ibit
Auctior, & fluuios immixtos inuehet vrnæ
Mediceæ, partemque ſacri capietis honoris.
Nec ſe præteritum doleat mare; flumina Ponti
Omnia ſunt proles, cunctorum humoribus vnus
Abluet Infantem, tanti pars magna Lauacri.
Quin etiam Tyberi conſtent ſua iura, Latinum
Sydus, adoratos gemino de Sole rubores
Crine trahens, ſacris Præſes luſtralibus eſto.
Dixerat, atque omnes Diuæ plauſere fauenti.
Gaudet honoratas lymphas in munere tanto
Quiſque ſuas, fratrum nec quiſquam inuidit honori.
Ergo iter accelerant pennis, & iuſſa faceſſunt.
Quà caput attollunt Europæ vertice cano,
Stellarumque niues immiſcent ignibus Alpes,

Digitized by Google

Aequantes imo montana cacumina dorſo:
Interior vaſtis claudens Natura cauernis
Theſauros liquidos humoris, ſtagna, lacuſque
Format, & immenſos cumulat crateras aquarum:
Scilicet innumeris nomenque, caputque datura
Fluminibus: Rhenus gelidis hinc voluitur vndis,
Chryſtallumq.fluens Ticini, Oenuſque Atheſiſque
Et fuga velocis Rhodani, viridique corona
Riparum Eridanus gaudens, ac nobilis Iſter
Fontibus auguſtis, ſexagintaque tributis
Amnium inundatus, qui ſpumeus æquoris inſtar
Albet, & exterret ſpatioſo gurgite Nereum.
Quidquid & infuſum fluuiorum ſanguine viuo
Europæ venis, meſſes fæcundat opimas,
Illis in ſpecubus, niuei ceu lactis, aquarum
Vbera ſugit, inexhauſtus nec deficit humor
Quippe per occultos ſeſe maria alta canales
Inſinuant, & purgata, ſub fornice cœco
Montium, amaritie, patrium regeruntur in æquor,
Æternumque fluens natura reciprocat orbem.
Has mundi ad ſedes penetrales, humida regna,
Cælicolum chorus æthereo delapſus olympo,
Fluuiorum repetunt cunabula parua ſuorum
Finitimis diuerſa locis, vrniſque repletis
Ad caput accelerant, vnde aureus emicat Arnus,
Et ſacrum infuſis fontem torrentibus augent.
Deinde ſuas ipſi tacitè labuntur in vndas
Aetherei ciues, florentem ſcilicet vrbem,
Atque vrnam, & ſacras ſubituri numine lymphas.
Interea Vaticano de culmine, Summus

Chri-

141

Chriſtiadum Rector, cui ſceptra Vicaria Cæli
Dant Superi, virtus meritum, natura capacem
Imperij mentem dedit, INNOCENTIVS Orbis
Arbiter, è Latijs delectum Regibus vnum
Heroum florem florenti deſtinat Aulæ,
Purpureum Ludouiſium, qui numine Patris
Romulei, Cælum Regali pandat Alumno,
Mediceis ſuperos inclinet & orbibus orbes.
Expectata dies aderat, terraſque polumque
Phœbus inaſſuetæ decorabat cyclade lucis
Et iam dilectas ſacris luſtralibus ædes
Virgineas, Vrbiſque fora, & ſtrata ampla viarum
Implerant populi, cum Regia limina linquens
Nobilibus Princeps Magnus comitatus ephebis
(His phrygio textu chlamys, & rigido grauis auro,
Ridet ab illuſo gemmis hilarata argento,)
Quadrijugo inuehitur curru, quem purpura ditat
Infuſo precioſa Tago, ſcintillat Erythre
In phaleris, aurumque ſuperbia mandit equorum.
Anteuolat pictis fulgens equitatus in armis;
Tela diem ſæuum ingeminant, clangore tubarum,
Aſtra virùm clamore ſonant, centumque fragore
Tecta boant, baliſtarum pulſata tonantum,
Et vocum, & fidium concentu templa reſultant.
At poſtquam ſacris operatus rite Sacerdos,
Infuſum Cælum plena diffudit ab vrna,
Et Ludouiſius generoſum pondus in vlnas
Excipiens, tenero ſacra imprimit oſcula Regi:
Continuò Aligeri ardentes, ſe numine toto
Magnanimo inſpirat Infanti, qualia circum

Sc

Se ſe apium Hyblæo ſundunt examina flori.
Scilicet in faciles magnarum ſemina ſenſus
Virtutum ſparſuri, alij pietatis auitæ
Inſinuant cultum, Reginarumque capaces
Mundi animos, alij Decimo laxata Leone
Corda replent, illi quà ſanguinis humor abundat,
Medicei miſcent iras, & robur Achillis,
Cum geminis FERDINANDIS hic te quoque Cæſar
FERDINANDE alij iungunt, vt nomine in vno,
Sic omnes vno condunt in pectore COSMOS.
Salue ò Regnantum Heroum generoſa propago,
Et prolem geniture parem, dignatus Olympi
Auſpicio tanto, famulantibus vtere Diuis.
O Pater! ò Soboles! ò ſpes fundata Nepotum!
Tolle animos, & Medicea finge indole dignos,
Spirantes altum, ſolitæ nec laudis egentes.
En tibi fecundo ſub pectore, viua laborant
Semina virtutum, cupidis eſtendere terris
Mediceos in prole Heroas: creſce tot vnus
Plene puer fatis, famæ pande theatrum.
Nulla tuas mundi plaga neſciet vltima laudes,
Nulla tibi laudum pars intentata manebit.
Ætatis dum flore virens, inſtabis amœnis
Aonidum curis, idem qui docta Leoni
Carmina dictauit, ſe in pectora fundet Apollo.
Nec minus eloquij nectar ſtillabit in ora,
Mellaque Laurentis, qui Regem voce repreſſit
Parthenopes, & pacem armato extorſit inermis.
Si ſtudia aſperiora trahent, ferroque iuuabit
Cauſam orare, calet non vno ſanguis Achille.
Der-

Dorſa ſuper tumidi ſi quando equitare libebit
Æquoris, & Thetidem telorum ſpargere nimbis,
Tecum Roborei Franciſci ſcandet in alnos
Impetus, & creſcent Othomanno ſanguine fluctus:
Nec conſanguinei Reges optata requirent
Auxilia, Arctoos Italo ſic marte tumultus
Frenat Auus, ſeruatque propinqui Cæſaris Vrbem:

Credo equidem numquam felicia numina ſanctam
Mutatura fidem, quòd ſi expertura vigorem
Magnanimæ mentis, modicum fortuna reflabit,
Quale ſolent auræ leuiter languere ſecundæ,
Tunc Pater vt quondam morbum, martemq; repellit
Arcano teneras firmabit robore vires.

Sed pietas laudes ante omnes regna capeſſet: (ma
Quam Genitor, quam Coſmus auus, Auguſtaq;flam-
Sanguinis Auſtriaci venis, & corde refundit.
Ingeret hæc menti Superos, Regeſque minores
Eſſe Deo, & regni culmen ſubmittet Olympo.
Hæc hominum commune genus miſerata, rigabit
Pauperiem flaui pretioſis imbribus auri.
Aetatem illa omnem teneat, primamque iuuentam;
Imbuat illa virum, vitæque extrema beabit;
Quin immortalem longæ poſt fata ſenectæ
Afferet, & ſerum proauis cæleſtibus addet.

F I N I S.

Digitized by Google



Google

BELLVM HIBERNICVM PRO CATHOLICA FIDE.

Digitized by Google

Digitized by Google

BELLVM
HIBERNICVM
PRO
CATHOLICA FIDE.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtriſsimo, & Excellentiſsimo D.

NICOLAO
LVDOVISIO
Plumbini, & Venuſiæ Principi, &c.

GVLIELMVS DONDINVS FEL.

INter opera in æuum omne manſura, quibus magnus Ludouicus Cardinalis frater tuus, Excellentiſsime Princeps, Ludouiſium nomen ab antiquo in Italia geſtis, Bononiæ, Neapoli, Romæ magiſtratibus inclytum, apud exteras gentes propagauit, non vltimum Collegium Ludouiſia-

num Hibernenſium fuit, in quo bellicoſa Septemtrionis iuuentus hauſtam cum literis pietatem in patriam referens, cum armis, & ſanguine propugnarit, noſtris carminibus argumentum ſufficit. Nimirum Princeps ille magnanimus nationes omnes capaci mente complexus, biennio, quo Gregorius XV. Patruus regnauit, & perbreui ab illius exceſſu vitæ ſpatio, anguſtias mortalitatis, tam glorioſis facinoribus extendit, vt obruantur legentium animi rerum mole, quæ gerentem non fatigarunt. Illo ſiquidem curarum participe Gregorius, Chriſtianorum Regum arma in ciuile bellum eruptura, in quo vter vinceret, certa religioni clades inferebatur, conuertit in veros hoſtes hæreticos, ad triumphos, eò magis glorioſos victoribus, quòd victis etiam ſalutares. Auro, & fœderibus confirmauit Ferdinandum II. Cæſarem, & Catholicos Germaniæ Principes, vt hæreticorum contumaciam vindicandæ religionis occaſionem faceret, Sigiſmundum quoque III. Poloniæ Regem, & Valachiam ſeptingentis millibus barbarorum inundatam, mutaret in tumulum, Othomanicæ cladis monumentum ſempiternum. Maximiliani Bauari, pro catholica fide victorias, Electorali dignitate remuneratus, Bibliothecam viciſsim Palatinam, Hæreſim ſpolium, dono accepit, quam Vaticani

orna-

ornamento tranſmiſit. Cùm ad aras cœlitibus quinque per celebrem apotheoſim deuocatis, cœlum quoque ſuo beneficio exhilaraſſet, in terris humanorum operum cœleſtiſsimum Romani Pontificis electionem ſapientiſsimis legibus ordinauit, vt ſumma libertate, ſumma poteſtas legeretur: nec Vaticanos vnquam Senatores pęniteret Principis, quem non alieno arbitrio, ſed ſuo, ſuis, & Reipublicæ ceruicibus impoſuiſſent. Hæc aliaque cum Patruo Pontifice Cardinalis, cuius poſt obitum in tanta deceſsione fortunæ, maior apparuit: cùm inſtar coloſsi, ſubducta terrarum principatus baſi, ſua tantùm magnitudine æſtimaretur. Tunc illa documenta magnanimitatis, ſapientiæ, liberalitatis, in principes viros, in priuatos, in ſacros ordines, in cælites; collegiorum molitiones, templorumque huius Ignatiani toto Orbe pulcherrimi, excepta, plauſu populorum, ac Regum, qui extincto Gregorio, Ludouici Cardinalis amicitiam donis amplioribus coluerunt, deſtinata Mediolanenſis Ducatus præfectura, & nobiliſſimis Hiſpaniæ infulis, quò propiùs aulæ admotus, regijs conſultationibus adhiberetur, vt liqueret, veneratores fuiſſe Reges Ludouiſiani, non regni, ſed animi, quo regna temperantur. Hæc eo libentiùs Tibi commemoraui Princeps

 Ex-

Excellentiſsime, quòd Tu quoque fraternarum laudum æmulator, beneficentia certauiſti cum Regibus, & Societatem noſtram amplecteris, hæres amorum. Quòd ſi modum exceſſit epiſtola breue carmen dedicatura, ignoſces, aut laudabis: vbi reputaueris, difficile nobis eſſe, tenere modum in veſtris laudibus, cùm vos non tenueritis in beneficijs. Quamvis enim cetera pauperibus deſint, vnum tamen ſupereſt gratiarum genus, magnitudini veſtræ, noſtræque tenuitati accomodatum, meminiſſe, & profiteri. Vale.

PRO-

PROLVSIO.

Bellum pro Catholica fide, quod Hiberni ſextum iam annum gerunt, quantum ſanguinis hauſit bellatorum è venis, tantum laudis è litteratorum ingenijs expoſcit, imparem quidem mercedem, ſed qua maior repræſentari non poteſt. Ab hoc verò Romano Atheneo non expoſcit modò, ſed flagitat; non ſolùm eo nomine, quo bellica virtus conſecrari carminibus ſolet, & Muſis inde nobilitas; ſed quia Romæ præſertim intereſt, Heroas Cælo pugnantes, ac ſibi, coronare; & quos Hereticorum impietas calamis, & gladijs inſectatur, oratione defendere, cum Hiberni ſe ſatis ferro tueantur. Accedit quòd cum Hibernorum plerique in Diui Iſidori templo, & Ludouiſiano Collegio pietatem cum literis hauſerint, indolem in ijs ſuam agnoſcere poterit Roma: ſiquidem Heroum genus, vt ait ille, non tam ſanguine quam virtute cenſetur. Quòd ſi vltimam belli cauſam adſcribimus impiæ legi aõ

hæreticis latæ, ne quis auguſtiſſimum Seruatoris Nomen adoraret (qua cauſa conſecrari propemodum Hibernorum arma, nemo non videt) hoc hiſtoricè facimus, non poetica fingendi libertate. Quamvis & hoc iure modeſtiſſimè vtamur; dum magnam rerum partem inducimus Diuum Patritium Hibernorum Apoſtolum, cuius externa luce anniuerſariam memoriam celebrauimus. Quandoquidem ex fidei noſtræ principijs, & exemplis à veritate alienum non eſt, immo credibile & penè dixerim neceſſarium, Paſtorem illum amantiſſimum, vt olim cum degebat in terris, ſic etiam nunc de Cælo Hiberniæ ſuæ laboribus, & periculis immiſceri.

CAR-

CARMEN.

VADE per Oceani ſpumantes ſanguine fluctus
Muſa, Caledonias qua deſpicit altior vndas
Inſula, mortiferis Hiberne inſenſa venenis,
Perfidiæque inimica magis; populumq. potentem,
Aut patriam ſeruare fidem, aut occumbere morti,
Inſere belligeris æui decus inſere faſtis.
Dum Bellona ferox odijs ciuilibus orbem
Chriſtiadum lacerat, nimiumq. furentibus armis
Mutua cognatæ pereunt per vulnera gentes:
Nec ſolum Odriſios mors effera dirigit arcus,
Lunaque magnanimo excidium meditata leoni
Sæuiùs ore rubens Siculiſq. Italiſq. minatur,
Sed propiore malo magnorum in viſcera ventum eſt
Regnorum: hic molita nouas diſcordia clades,
Fratribus abrumpit fratres, natiſq. parentes;
Vt quas non hoſtes potuere excindere ferro,
Incenſæ caris fument à ciuibus vrbes:
Dum pia Relligio ſuper altæ ſtragis aceruos,
Semirutas vrbes inter, campoſq. colonis
Deſertos, vlulans furit, inclinataq. buſtis
Oſcula diſpenſat populis materna peremptis:
Tum quoſcumq. tepefactos cruor incitat amnes,
Partem animæ putat eſſe ſuæ: tandem vna dolentem
Sanguinis Hiberni ſolatur purpura matrem,
Purpura, qua rubuere pio ſacra pectora Marti.
O animæ Cęlo caræ! ò deuota Tonanti
Pectora, quæ geritis victricia fulmina dextris,

Pergite magnanimis ſuperos augere trophæis.
Interea dum vos gelidos pro ſole Triones
Luſtratis fidei flammis, & ſanguine claro,
Si qua pio vati ſpes facta æquare canendo,
Ipſe redorditus tanti primordia belli
Exequar, & repetam veſtras ab origine palmàs,
Venerat ad ſummum impietas, extremaq; tentans
Hæreſis, in populos nimis imperioſa Britannos,
Augebat rabidos expiratura furores:
Illa parens diuum, quæ tot diademata Cælo
Intulit, erectis pro Relligione trophæis
Nobilis Albion, vectigal pendere Petro
Sueta pium, Romamq. vel vltimo ab orbe tueri,
Proh dolor! infenſos animos, inimicaque nutrit
Pectore nunc mutato odia, exulat omnibus aris
Iam Romana fides, raro cultore vocata,
Et timido, eiectis ſuperis, dominatur auernus.
Atque vbi florebant artes pietatis auitæ,
Squalentes videas cultus, deſertaq. regna
Virtutum, martem tantùm furiaſque vagantes.
Proxima clade pari, quamuis in diſpare morbo
Inſula, Caluini grauioribus icta venenis,
Vrgetur moriente fide; ſi tela rotanda
In ſuperos, ſi Relligio damnanda catenis,
Aut laqueis, ambæ iuratæ: cætera dictis,
Legibus, & ſtudijs diſcordes, nec magis vnà
Conueniant, quam cum tauris, vrſiſque moloſſi
Ire queant, aut cum tygribus ſtabulare leones.
Vnica tot clades inter ſolatia Cælo
Præbebat veteris cuſtos pietatis Hiberne.
Hùc

Hùc omnes aris pulſi, templiſque propinquis
Confugiunt ſuperi, venientibus obuia pandit
Inſula ſanctorum gremium; verùm illa nefandis
Supplicijs luit eſſe piam, magnoq. recepti
Grande patrocinium Cæli ſtetit; æſtuat ira
Hæreſis, & quoniam pietatem auferre negatum eſt
Hibernis, rapti cenſus, patrimonia, ſanguis.
Sed penſat tot damna fides, nil perdere credunt,
Si liceat retinere Deum diſpendia rerum
Lucra putant, eſt diuitias amittere tanti,
Dum ſpe poſſideant Cælum, regniq. beati
Pauperiem pignus teneant; iuuat infima ſummis
Mutare, ac terræ licitari ſidera iactu.
Quid memorem populos taxatos ære, prophana
Templa recuſantes accedere? quid renuentum
Iniuſtas leges, actos in terga moloſſos?
Quid memorem triuijs proiecta cadauera plenis,
Per graciles transfixa ſudes? quid ab vbere matrum
Auulſam teneram prolem, nutricis in vlnas
Externæ, vt mixtum biberet cum lacte venenum.
Hæc toleranda forent, ſi non in Hiberna iocaret
Impietas capita, & fierent ludribia mortes.
Heu quoties iuſſis apponere ciuibus ora
Ad ſcloporum aditus, & ſumma foramina, miles
Per ludum exploſo traiecit guttura plumbo?
O quoties cum deficeret pila lignea ludos,
Hanc ſubiere vicem capita è ceruice reciſa
Dein reuoluta ſolo! ſceleris proh ſumma nefandi!
Et potuere homines, hominum ſpectare rotatas
In girum facies, nec lumina perculit horror?

Et

Et potuere manus frontes tractare cruentas?
Cumq. oculis digiti inciderent & in oris hiatus,
Dextera ferales non horruit improba tactus?
Scilicet haud ſolitam pompam præbere malorum
Impietas gaudet, confundere lumina matrum
Sanguine natorum, materno aſpergere natos.
Hauſerat illuſtris Matronæ, miles acerbus
Immeritum latus enſe, virum quòd prodere nollet
Pro pietate reum, proſtrataq. vulnere diro
Illa gemebat humi, vitam cum ſanguine fundens
Purpureo. Agnouit caſum genitricis amatæ
Ludebat qui forte puer, laturus & ægræ
Auxilium vt poterat, plagæ os admouit hianti.
Seu fuit ille pij ſenſus, ſeu non ita pridem
Vbere depulſus materno, munera lactis
Se ſe haurire recens nato de fonte putabat
Dum videt hæc miles molleſcere pectora motu
Senſit inaſſueto, ſed comprimit ira, moneri
A puero indignans, tandem vt miſereſcere diſcat.
Ergo rapit miſerum, frangitq. ante ora parentis;
Quæ viſo hoc tenuem conſumpſit funere vitam
Barbare, crudelis! nam quid peccauerat infans
Si reus eſt amor in matrem, veniam impetrat ætas
Tam ſanctæ culpæ; matri ſuccurrere tentat
Imprudens quid agat, fuit excuſabilis error,
Naturæ, quam tu ſpernis, parere puellum.
Vſque adeo ne pias olim crudeſcere mentes
Impulit error, & humanum dediſcere morem?
Finiat ante diem Phœbus, quam flere dolores
Hibernos vacet; at finem ſperate malorum
Il-

Illuſtres animæ, quòd vos premit alta malorum
Ilias; ad funus properat violenta tyrannis.
Dumq. ferox poſcit, vi, fraudibus omnia poſſe,
Incipiet iam poſſe nihil; vertentur in imum
Summa rotæ; humanis ſunt hæc ſolatia fatis,
Vltima quod nequeunt conſiſtere; venit in altum
Hæreſis, vt præceps ruat impellentibus aſtris,
Flamma ſub occaſum geminat moritura vigorem.
Ecce nouam legem, extremũ parit impia monſtrum
Perfidia, vt nemo obſequijs dignatus adoret
Vindicis humanæ ſobolis venerabile nomen.
Proh pudor! à geminis regnis infame receptum
Nauigat edictum, fineſq. appellit Hibernos.
Ter maris vnda ratem ſceleratam in limine portus
Sorbere eſt conata, ter inſula reppulit à ſe
Sponte recedenti tellure, inuitaq. tandem,
Nec niſi vindictæ (credo) præſaga recepit.
Nam poſtquam rumor populorum venit ad aures
Impius, Hibernis cultum, obſequiumq. negari
Nominis Auguſti, quod fixum in corde gerebant:
Non ſecus, ac ſi progeniem mactare parentum
Ante ora, atq. ipſos veniſſent ſpargere ponto
Exilijs profugos, doluere: dolore furorem
Continuò pariente, fuit ſimul impetus, omnes
Auctores luctus diſcerpere; ſed premit iram
Conſilium, ſpe non dubia, grauiore ruina
Mox erupturam, veniant cum tempora bello
Ductoreſque. Regi vult implacabilis ira,
Vt noceat, furias paulum, temeraria ponit,
Certius vt vulnus, meditato dirigat ictu.

Te felix ONELLE oculis, te voce requirunt
Vnum omnes, Regum qui ſanguine clarus, Hybernen
Conſilijs, animiſq. potes fulcire labantem.
Senſerat is populi ſtudia, atq. in cardine rerum
Sollicitus tanto, neque enim ludicra mouebat,
Sed patriæ indigno diſſoluere vincula collo,
Hoſtibus atq. vnam geminis opponere Hibernen,
PATRITII auguſtas ædes penetrarat, opemq.
Quam laturus erat Patriæ, implorabat ab aſtris.
Noctem illum totam orantem, finemq. malorum
Poſcentem Diui ad tumulum, cum lampadas humor
Deficeret, dubioq. faces fulgore natarent,
Confuſum curis ſopor occupat. Ecce recluſo
Ingens vmbra viri, procedere viſa ſepulcro,
Ante oculos; cana cui maieſtate, verendam
Frontem ambit Cydaris, claris trabea aurea lucet
Sideribus, læua vexillum inſigne gerebat,
Ore Deum, ac Cœlum ſpirans; qualiſque videri
PATRITII ſolet in tabulis, ſed maior imago.
Illa videbatur porrecta accerſere dextra
Felicem trepidantem, atque has expromere voces.
Macte animis generoſe, ducum fortiſſima proles,
Ne dubita dare te populis, mea rurſus Hiberne
Te Duce, magnanimis ſuccedet in æthera factis.
Hæreſis excidium properat voluentibus aſtris,
Tempus in arma ciere viros, & tollere ſigna.
Sed quoniam hydra ferox, non vno colla ſub ictu
Victa dabit, clari conſortes quære laboris.
Eugenium, Præſtonq. voca, fortemque Ferallum.
Vltonia Eugenij ductu, te præſide Præſton

Ro-

Roſcomani campi, hoſtili ſub cæde latebunt.
Porſellum, & Rupem mittet Momonia, Burgos
Conaſia, at cum Fingleſio, Lagenia, Bernum,
Et Giraldinum euerſorem pacis iniquæ.
Tum quos centum alios felix alit Inſula Martes.
Ante omnes Vaticani cœleſte parentis
Præſidium implora, vt dextræ nutu orſa ſecundet.
Suggeret ille aurum, longèque potentius auro
Fortunam, Numenq. dabit, pugnabitis ambo
Vos armis, Roma auſpicijs. Virtutibus heros
Inclite Scarampi, primus ſeruabis Hybernen
Mox & Firmanus præſes, cui mellea labris
Suada ſedet, pietas regit & ſapientia mentem.
Huius in aduentu, quanto concordia nexu
Æmula corda Ducum iunget, contraq. nocentes
Diſſidiumq. metumq. feret, certamina, clades.
Hæc olim: quæ nunc fieri properè ipſa monet res,
Accipe. Vbi lucem ſol craſtinus euehet auream,
Concilium magnum populi, procerumq. ſenatum
Expectatus adi, belloq. hortare volentes,
At ne quis dubitet ſacris accingier armis,
Hæc vexilla cape, (hic vexillum tradere viſus
Purpureum) hoc,inquit,freti in media arma volabunt.
Quos non augebunt inimica cadauera campos?
Stragibus Hiberni quantis fumabitis amnes?
His ſopor excuſſus dictis; recludit ONELLVS
Lumina, PATRITIVS tenues exceſſit in auras.
Sed ne ſpectra putes, vexilla reliquerat, & iam
Pallebat templi vitreis aurora feneſtris.
Propitios rursùm cineres gratatus adorat,

Et

Et ſurgit; dein concilium plebiſq. patrumq.
Extra vrbem ſubit in campis, vbi murmure læto
Plaudentum procerum, vulgique fauentibus auris
Exceptus, modico è tumuli ſic aggere, fatur.
Centenos annorum orbes, rota ſolis Olympo
Compleuit, Proceres, ex quo crudelis Hibernen
Hæreſis imperium lacerat. Memorare dolores
Quid iuuat antiquos, ſi nos præſentia tangunt
Funera, vel Scythicis lacrymas meritura theatris?
In terris ſi quid feritas graue parturit vſquam,
Diſcimus Hiberni patiendo. More ferarum
Venatus noſtrorum hominum, canibuſq. peractos
Deplorem; ſi non habuere cadauera pacem,
Quam natura ſolet functis dare? Ab vbere raptos
Materno querar infantes, ſi è viſcere raptos
Cæſarum, immerſere ſuo, matrumq. cruori?
Hæc, ciues, vtcumque ferebam; quippe futuris
Tot mala ſolabar fatis. Nunc omne leuamen
Hæreſis inuidit; ſpem Cœli tollere tentat,
Nominis auguſti dum tollere tentat honores.
O furiæ humana in forma, cognataq. monſtris
Agmina Tartareis! auri ſi tanta cupido eſt,
Abripite, en vltro offerimus patrimonia, cenſus;
Spem ſaltem alterius poſt fata relinquite ſortis.
Non licet, impietas exclamat, tollere ludus
Diuitias; animas viuente cadauere clauſas
Circumſertis Hiberni? etiam has auferre paramus,
Nec ſatis; at vitas geminato perdere letho,
Corporibuſq. animas, animiſq. auellere Numen.
Poſſumus hæc tam infanda pati? profundere vitam
Vſ-

Vſque adeò ne graue eſt miſeris? quin ſponte vouemus
Pectora, funeribuſq. fidem, per tela, per enſes
Defenſam damus, & morituri vlciſcimur hoſtem,
Tot clades illi, centumq. reponimus annos?
Talia dicta dedit: murmur ſimul inſonat ingens,
Æquoris in morem, horrificis dum voluitur auſtris.
Nec mora: concordi pariter clamore frementes
Promiſere omnes morituros. Rurſus at ille
Cautus, vt exploret tentando, & pectora firmet:
Quod Duce bella placēt, iniquit, quę prēditis arma?
Non gladij vobis, non fulmina ferrea, nullæ
Loricæ, exitij certi in media arma ruetis? (gnam,
Te Duce bella placent, (exclamant) da modò pu-
Arma dabunt hoſtes, largo quæſita cruore.
Arma dabit furor. An, ne deſint tela furori,
Addubitas? rabidis pugnabimus vnguibus, ore,
Dentibus, & morſu illi animos, nos arma ferarum.
Cetera ſi deerunt, facimus de corpore tela,
Grandiaq. euulſis iaculabimur oſſa lacertis.
Ergo vbi funereos ſat concepiſse furores
Dux videt, eductum vexillum ſuſtulit altè,
Ingens, ſanguineum. Vobis en nobile Cœli
Munus, ait, Superi heſterna quod nocte tulerunt,
Huic iurate fidem. Labarum ſimul egit orbem
Murice cœleſti radiantem; fulgurat aureis
Lemma intertextum ſtellis: In NOMINE IESV
Omne genu flectatur. Humi, tunc agmina flexo
Procubuere genu, & feſto clamore ſalutant
Omen grande triumphorum: omnia timpana rauco
Concrepuere ſono, lituique, tubæq. canoræ;
Au-

Auditique pares plauſus ex æthere, ab imo
Vmbrarum furor, & ſtrepitus, tremere æquore viſæ
Orcades, & lætùm fluctus reſonare marini.
Tum quoque luminibus fama eſt patuiſſe piorum
Cœlicolum obſequia, & diſcedente æthere claro,
Nomen adorantum viſas cæleſte cateruas,
Scuta inclinantes, & ſpicula flammea lucis.
Mox alios inde, atq. alios è ſedibus aureis
Ire coruſcantes argentea tela maniplos.
Agmina quin etiam furui conſpecta barathri,
Fumantes inter tædas, lucemque malignam,
Cernua verticibus pronis, compulſa fateri.
Stridore inſolito Numen, ſonituque catenarum
Ingenti; frontes inclinauere ſuperbas
Luciferi fratres, quamquam labra liuida mordent,
Corde rebellantes, iraſcenteſque tremiſcunt. (ſtes
His alacer monſtris Ductor, rapere agmina in ho-
Non dubitat deuota Deo, miracula tanta
Dant animos, & prodigijs fiducia maior
Omnibus; armatos ſperant nam vincere inermes,
Quòd ſtatuere mori. Paribus iam motibus vrbes
Coniurant, & vbique neci poſcuntur alumni
Perfidiæ; iam ſtructa alijs ergaſtula complent,
Et quas Hibernis tulerant, ſubiere catenas.
Non ſemper ſcelus eſt felix, quondam æqua reuiſit
Sors miſeros, & deſtituit laſſata ſuperbos.
Heu quid agant? qua vi tentent frenare ruentes,
Quos furor, & pietas, dolor, & Deus armat in hoſtem?
Nempe pauent, veluti ſuperant ſi quando leones
Clauſtra ſupergreſſi ſaltu, ſtupuere magiſtri,
Nec

Nec reuocare audent iam libera colla, trementes
Excuſſáſque iubas, generoſaque verbera caudæ.
Sed fidei Romanæ odium, & felicis Hibernes
Gleba ferax nimium in ſua damna, lucrique cupido
Non patitur ſine bello opulenta relinquere regna.
Vt clauus clauum trudit, ſic dira timorem
Peſtis auaritiæ maior fugat; illa ferocis
Virtutis ſubijt partes, & ſponte daturos
Terga hoſtes, audere iubet, tumulumque paciſci
Pro ſolio; vſque adeo vita pretioſius aurum eſt.
Ergo caſtra mouent, & inundant agmine campos.
Hibernos idem ardor agit, dum flamma furoris
Virtuti calet, & rationi militat ira.
Parua quidem, ſed lecta manus; non tegmine ferri,
Sed Cælo defenſa ſuo, ſparus armat agreſtis
Magnanimas dextras, detonſaque brachia ſiluis.
Pro gladijs cultri oblongi, quod gentis Hibernæ
Aſſuetum telum, cunctis violentius armis.
At rari ſclopi, pugnæ ad præludia, nudæ
Pluribus arma manus, rapturæ ex hoſtibus arma.
Exterſis ibant animis, Cereriſque beatæ
Delicijs ſaturi, Cælumque, Deumque ſonabant;
Templa ſacerdotum, non Martia caſtra putares.
Aſt vbi decreuit medio certamine campus,
Supra homines, ſupra ire putes virtute gigantes.
Vix etenim ſonuere tubæ, cum primus ahenæ
Glandis vtrimq. tonat nimbus, ſuppleuit Hibernus
Arma dolo, & pede præcipiti delatus in hoſtem,
Aequiparat curſu, fumumque, pilaſque volantes.
Tunc hoſtis momento ictos miratur eodem

Fumo oculos, tonitruque aures, & viſcera cultris.
Dumq. alij ſubita hærentes formidine torpent,
Audaces alij fodiunt venientibus ora;
Pectore non gladios, non ore recuſat Hibernus
Condere, dum teneat raptos vel mortibus enſes.
Succedunt ſocij extinctis, armiſque potiti,
Vnam milleno compenſant funere mortem.
Ac velut in lybicis venenatum exercitus oris,
Ieiunas tygres catulis ſi forte peremptis,
Inuaſere, rapit matres dolor ira furentes
Haud dubiam in mortem, & venabula ſanguinolento
Mandere non timidæ morſu, ſolatia cædis
Cæde ſibi pariunt venantum; mille receptis
Deinde humeros confixæ haſtis, ſiluamq. rotantes
Æratam in gyrum, ceu rapta ex hoſte trophæa,
Procumbunt alto deuictæ ſtragis aceruo.
Iamq. hoſti attonito tam prodigialibus auſis
Ingeminant noua monſtra metus: furere æthere toto
Auditi armorum ſtrepitus, vibrata tonare
Fulmina, & inuiſis ſtridere haſtilibus auræ.
Quin & coruorum ſubitis exercitus alis
Increpuit, ſtridore graui, diroque furentes
Omine contriſtans acies: nam vt quiſq. cadebat,
Continuò huic nigris fodiebant lumina roſtris.
Seu dapis optatæ veras ad pabula nota
Egit amor volucres, ſeu Tenariæ agmina ſedis
Se obſcenas in aues vertunt, adſperſaque pennas
Nocte ſua, ſpreto pænas de nomine ſancto
Expetiere, quod inſenſum licet, Orcus adorat.
Nam cur tale nefas auſæ omni in ſtrage nocentum,
Ab-

Abſtinuere cadaueribus, vultuque piorum?
Cur in pugnantes tantùm fuit impetus hoſtes,
Ire, redire polo, & pro Hibernis iungere bellum?
Non quia (crediderim) genios ea cura ſceleſtos
Sollicitet prodeſſe pijs, ſed quòd furor ipſe,
Omnibus innata & Nemeſis, vindexque Tonantis
Ira, nocere malis iubet, & præuertere cogit
Triſte miniſterium laniandi corpora apud nos,
Vt meritas animas vrunt, torquentque ſub Orco.
O miſeri! quæ nam pandit fortuna ſalutem,
Si cælo, terris, ereboque vltore cadetis?
Agmina concuſſis trepidantia cernere ſignis
Iam videor, cauſamque necis ſua tela timentes;
Iam galeas terrore quati, iam vertere terga
Iam cadere, & totis proſternere funera campis
Exoculanda, cadaueribuſque aſſurgere montes.
Tolle nouis frontem decorandam tolle triumphis
Hiberne decus Oceani; & lambentibus vndis
Porrige victrices humentia ad oſcula plantas,
Dum fauſto felix tibi ridet adorea Cælo,
Et Cælo arridet pelagus, iunctæquè canoro
Murmure, lætitiam limphæque, auræque reſultant:
Ecce profanatis eiecta cadauera templis
Hæreſeos polluta lue, & luſtrata vetuſto
Ritu, læta ſuos recolunt altaria Diuos.
Imperioſa palam cunctis dominatur in aris
Relligio, quæ perfidia regnante, piorum
Ante domos tantùm, priuataque regna tenebat.
Gaudia quis referat populorum, libera tecta,
Libera gratantum iam pectora? nulla ſequentur

Exilium prolis, matrum lamenta per vndas,
Sed peperiſſe Deo ſobolem, patriæque iuuabit.
Quis victæ hæreſeos referat lacrymaſque, metumq.
Iratum numen, conuerſaque fata trementis?
Nec fruſtra; iam fatales Vltonia campos
Tingere cæde noua geſtit, iam verberat arces
Fulmineus Præſton, albi cognomina ſaxi
Muſgrius, & Rupes hoſtili ſanguine mutant,
Rupes, ore gerens phœbum, ſed pectore martem.
At tibi Naſſiacam ſeruat victoria laurum
Delicium patriæ Dungan, & Hibernus Achilles,
Flore nitens roſeo, pubentem ætatis aprilem.
Huic in confertos hoſtes ſine fine furenti,
Plumbea glans, inter flauos innoxia crines
Incidit, & vinclis captiua pependit in aureis.
Tam pulcrum intuitus luſum Rex ipſe Britannus,
Fortunate puer, (dixit) fac ſplendida fortis
Tecum habeas monumenta tuæ de crine trophæa
Hæc ſuſpenſa geres ſemper, terrebitur hoſtis,
Quaſſabis quoties tremulos cum crine triumphos
Figere ne ſclopi hunc iuuenem ſperate, vel enſes,
Dunganum haud feriunt hoſtilia tela, ſed ornant.
Pergite magnanimi heroes virtute mereri
Fortunæ obſequia, & cauſæ inclinate volentem.
Nec metus à gemino hoſte, pares ambobus Hibernos
Auſa probant, fraterna fides modò pectora iungat
Et cæleſtis amor; contra Hæreſis impia ſemper
More ſuo ſecum diſcors, Regique rebellat.
Quæ libertatem vocat, omnia ſoluere iura,
Et ſeruire iubet Reges, oneratque catenis.

Ite

Ite pij, ac triplicem cauſam defendite bello:
Vnam animam Regi, Patriæ, Cæloque vouete.
Latiùs imperij fines proferre ſuperbi
Cuſpide contendant, vitamq. impendere famæ:
Fulgor opum, & flauæ radiantia pondera maſſæ
Lumina perſtringant alijs: hos more ferarum
Sanguinis humani numquam exſaturata libido
Vrget in arma: fidem patriam vel pectore forti
Stantem protegere, aut tumulis ſociare cadentem,
Hoc veſtrum decus, hęc Hiberni gloria Martis.
Sic Diuos bellare decet, ſic vincere Cælo,
Sic cadere: audito natorum funere mater
Templa ſubit læta, & conſpergit flore ſepulcra;
At ſontes illos, quos cæditis, atra vorago
Excipiet barathro, hic pænarum nomina mille,
Cum flammis, fumoque, rotiſque, flagella, catenæ,
Sibila, viſus, odor, morſus, viruſque draconum.
Nutrit honoratas vobis victoria frondes
Quo reſcumque cadant. Si veſtris, corruet armis
Hæreſis, & ducet ſemel inclinata ruinam,
Patria dat laurus, meritos ſociabit & omnis
Orbis, io plauſus! aliter ſi irata iubebunt
Sydera, nec tantam meruerunt ſecula ſortem,
Certa ſalus lethum, meliorque in funere palma,
Omnibus & lauris venit inuidioſa cupreſſus.
Quippe mori Regis pro libertate decorum,
Pro Patria dulce, at pro Relligione beatum eſt.

FINIS.



FVNEBRIA
AD
CHRISTI
TVMVLVM.

Google

Digitized by Google

R. P.
GOSVVINO
NIKEL
Societatis Ieſu Præpoſito Generali.

GVLIELMVS DONDINVS
eiuſdem Societatis Fel.

POeſim, ſacris in argumentis verſatam, Tibi offero noſtri Ordinis moderator religioſiſsime. Cum enim diuinarum contineat argumenta laudum, quæ in Dei Filio, & Heroibus ſub crucis vexillo militantibus floruerunt, meritò in Tuo nomine apparet qui nos omnes exemplo, & imperio præcedens, per ſublimiores virtutum calles, vulgo neglectos, quia meliora non vitet, ad ſolidam immortalitatem ducis. Accedit, quod hoc præſertim tempore, publico mihi munere colendus es viſus, cum anno ſe conuoluente, recurrit gratulatio electionis tuæ, per quam

trium Præpoſitorum Generalium, quos intra triennium properatis funeribus extulimus, deſiderium expleuiſti, cum virtutes impleueris. opinione planè adæquata, qua Franciſcus Piccolomineus VIII. Præpoſitus Generalis vir ſapientiæ, vel in priuato magnæ, moriens in ſupremis mandatis Te Vicarium ſuffectum ad regimen tantum iureiurando omnium aptiſsimum confirmauit. Conſecuta eſt Aulæ Romanę prædicatio, in iudicio artis imperatoriæ non aberrantis: cui ſe approbauiſſe externam virtutem pro panegyrico eſt. Neque enim in geminis comitijs Roma publico rumore, & fama Te ampliſſimo muneri deſtinaſſet, niſi capacem aduerteret mentem, & cum Germana fide, candore, grauitate, Romanas artes copulantem. Prudentiam procul à ſuſpicionibus callidam, nec falli certam nec fallere, conſtantiam, vt offenſionum non timidam, ita nec auidam, paternam citra blanditias charitatem, aliaſque laudes quæ venerationis partim, partim amoris illicia, conſtituunt caput illius ordinis, in quo propter regiminis rationes, ad vnum omnia referentis, neceſſe habeat, ſummus eſſe virtutibus, qui ſit maximus poteſtate. Vale.

PROLVSIO.

*M*Enenium *Agrippam Oratorem verè flexanimum, qui publicæ gratiæ ſequeſter inter Romanum Senatum, & Plebem fuit, cum gloria, quam opibus ditior, in ſumma paupertate obijſſet, collato viritim à gratiſſimo Populo ære, ſplendidè funeratum accepimus. Et nos pariter ſequeſtrum Dei, & hominum Chriſtum Dominum, Oratorem illum in palæſtra Diuinitatis à tota æternitate eruditum, qui non tam vocum, quam vitæ ſpiritum in extrema oratione profundens, torrente ſanguinis, non verborum, compoſuit humani generis*

cum Deo diſſidium; cum in extrema inopia, & nuditate in Cruce expirauerit, collato noſtrorum ingeniorum ære, magnificè ſuſcepimus funerandum. Hunc verò lugubrium exequiarum honorem eò nobiliorem reddendum exiſtimauimus, quod infinitis partibus ſuperat beneficium ſalutis ſempiternæ, pacem breuem, neque verò in comparationem venire audet cum Dei Verbo mortalis vllus Orator, cum Deo Patre Senatus Romanus, nec Romana Plebs cum genere humano. Quòd ſi voluntatis extremæ morientium haberi ratio in funeribus ſolet, & debet; certè aut nihil amauit Chriſtus in vita, aut ſolius funeris cura, curæ illi fuit. Teſtes illæ crebrò iactatæ de ſupremis voces: teſtis profuſa erga Magdalenam benignitas, excuſatioque, vnguenta pretioſa in cultum Diuini corporis prodigentis; cum diceret, nolite moleſti eſſe huic mulieri; quoniam ad ſepeliendum me fecit. Concinit diuinis Chriſti vocibus, cæleſte vatis oraculum, qui cum Dei filium deſpectum, & nouiſſimum virorum ſaturandum tormentis, & opprobrijs fleuiſſet,

ſe-

ſepulcrum fore cecinit glorioſum. Sed qualis hæc ſepulchri tui gloria amantiſſime noſtræ libertatis aſſertor? An indoluiſſe obſcuratione ſiderum, Cælum? gemuiſſe ſciſſione petrarum, & ſepulcrorum terram? & indicto à principe mundi ſole iuſtitio, veſtimenta mutauiſſe naturam? Magna hæc ſunt decora diuinæ mortis, teſtimonia Diuinitatis, tubæ rerum vniuerſitatis, & voces, diuinos labores, amoreſque prædicantes. Sed nota nimis hæc, & peruulgata prodigia. Alia narrabit Poeſis noſtra ad diuinum ſepulchrum ſingulari, & inaudito gloriæ genere condecorandum repræſentata miracula, lacrymas, laudationes, ſpectacula, ab ijs videlicet, quorum corpora Deo moriente ſurrexerant, ante oculos Dei genitricis, quæ ſemper animo præſens, aliquando etiam corpore, ad filij ſepulchrum conſidebat. Agite igitur, ea die, qua diuinum corpus iacuit in tumulo, indictas exiſtimate exequias nobiles à beatiſſimis mentibus ſolemnibus ijs verbis, quæ audita etiam ſub Chriſti mortem in quadam inſula, narrant ipſæ ethnicorum hiſtoriæ; ſcilicet: MA-

GNVS

GNVS PAN LETHO DATVS EST, exequias ire cui commodum eſt tempus eſt. Accedent ſacri vates laudantium ſimul, & vaticinantium per diras munera implentes: tum ſaltationes ſcenæ, & funebres ludi. Neque verò ab hiſce obſequijs ſabbati religio eos prohibebit, qui ſemel obita morte, Iudæarum legum vincula diſſoluerunt.

D I-

Digitized by Google

DIRÆ.

ET potuere homines hominum damnare parentē?
Fraterna latitans in imagine prodere Numen,
Munera vulneribus, vitamq; rependere letho,
Opprobrioque Crucis, Regni immortalis honorem?
Ille ſua felix qui maieſtate, potenti
Progenies æquæua Patri, primordia neſcit,
Neſcit & occaſum, externæ nil indiga pompæ
Immenſi natura boni, par, vna theatrum
Spectator, plauſuſque ſibi; cunabula ſeclis
Qui dedit, mundum labentem numine fulcit:
Mortales poſtquam dignatus ſumere vultus,
Vt mortale genus patrijs tranſcriberet aſtris,
Inter nos primo viſus pulcherrimus æuo,
Detergens culpis animos, & corpora morbis,
Lætitia terras, terrore impleuit auernum:
Inuidiæ tandem furijs, & fraude ſuorum,
Mancipijs data præda ſuis, data fabula vulgo,
Pulſatus palmis, & ſputis ſordidus ora,
Colla catenatus, laniatus terga flagellis,
Et pro ſideribus præcincto vertice dumis,
Heu luctu commotus agor! trabe nudus ab alta,
Latronum nece mactatus, diuum atq. hominum Rex
Ludibrium mundi, mundo titubante pependit.
Huc age muſa, graues inſpira in carmina diras.
Audiat has tellus; rupta quæ mole fatiſcens
Contremuit, ſacrum conata repellere pondus;
Et mundo ſcelerum vltores immittere manes.

Audiat has Cœlum, & Cœli fax aurea, lucis
Quæ ſcenam in tumulum conuertit, & aſtra Tonantis
Exequias, facibus, quæ luſtrauere cruentis:
Quæque Crucis clauos ſenſere elementa potentes.
Sed quæ prima meum maculabit victima cultrum?
Cui fodiam ſacro ſceleratum carmine pectus?
Hoſtia prima cadat iuſto deuota dolori,
Qui tulit Iſacidum princeps vexilla furori,
Et fontum inſanæ malè ſanus præfuit iræ.
Muſa furens, diro pete carmine guttur Iudæ.
O caput infidum, humana ſub fronte Megera!
Siccine amicitiæ ſub larua prodis amantem?
In fraudem caræ vertiſti pignora pacis?
Inſtrumenta necis facis oſcula? floribus anguem
Oculis, in radijs fulmen, ſub melle venenum?
Quænam te fallax in lucem fudit hiena?
Vipereo eductum ſucco pro lacte, medullis
Aſpidis, & ſpuma baſiliſci, & felle leonum?
Quid tibi auaritiæ monſtrum, pro talibus auſis
Imprecer? anne vt præcipiti rota differat orbe
Cuſpidibus præfixa? iugis an tractus equorum
In partes diſcerptus eas? an ſparſus ab altis,
Rupibus in fluctus, ſcopuliſque infixus acutis,
Pars tabo inuites volucres ſtillante marinas,
Piſcibus eſca nates pars altera grata profundi,
Diuiſo geminam paſcente cadauere gentem?
An quoniam argentum, atque aurum furioſe ſitiſti,
Ore bibas auido liquidi pretioſa metalli
Pondera, quæ calido diſtendant flumine venas?
Sed leue ſupplicium nimis eſt pro crimine tanto,

Nec ſpecioſa decent tam vilem funera culpam.
Quin potiùs terris idem execrandus, & aſtris,
Aſtra inter, terraſque, orbi grauis, arbore pendens
Inuiſam eijcias animam; non ore nefando
Ora ſuo, quod contactu diuina notarunt:
Sed cum viſceribus rupto de pectore fuſis
Sparſus eat miſerè per apertos ſpiritus artus.
Duxiſti fædam probroſa per omnia vitam,
Conſumas fædam miſeranda per omnia mortem,
Ipſe tui dignus ſceleris patrator, & vltor.
Vicimus, vna meum ſaturauit victima ferrum.
Muſa ſacerdotes diris inuade cruentis,
Nomine qui ſancto, mores texere ferarum.
Tuque ſacerdotes inter nequiſſime Princeps,
Tune Deum indignis auſus multare catenis,
Et letho damnare Orbis caput? ore proteruo
Quid facimus (clamas) implebit nomine totum
Hic Orbem, populos trahet in ſua iuſſa volentes,
Eloquio, factiſque potens. Qui voce malignas
Corporibus peſtes abigens, dextraque potenti,
Multiplicans turbæ cerealia dona ſequaci,
Humanos pretijs tantis mercatur amores.
Nec ſolùm Solymas angit timor iſte, ſed ipſos
Romulidas rerum dominos par cura fatigat.
Finibus anguſtis, neque enim ſe vaſta tenebit
Ambitio, ſcena eſt magnis conatibus impar
Angulus Iſacidum: Regum qui ſanguine cretus
Materno, patrium claris genus imputat aſtris,
Rex Orbis vult eſſe, patrem dum quærit Olympo.
Et nos interea contagia ſerpere morbi

Ceſſando finimus? placet has nutrire fauillas
In gremio, & patriæ excidio lactare leonem?
Romani venient, vrbemque à ſedibus imis
Euertent, regnum, gentem cum nomine tollent,
Vnius, & crimen, communi cæde piabunt.
Quin luat hoc potiùs caput vnum publica fata:
Omnibus inſtantem populis ſubeatque procellam.
Expedit vnus homo pereat, nec tota propago
Intereat generis. Quæ fundis verba Sacerdos
Inſcie? Pontificis cecidere oracula labris
Inuitis. Hominum (fateor) pro gente peribit
Ille vnus, gens Iſacidum, ſed tota peribit.
Quam malus es ciuis, dum talia conſulis vrbi,
Tam bonus es vates, dum talia concinis Orbi.
Et vates pariter, dum veſtimenta Sacerdos
Omine ferali laceras. cum veſtibus vna
Sciſſus honos templi eſt, vetus inſula, gloria gentis,
Et decus, & virtus perijt, periere triumphi.
Perge, age cæleſtes cum veſtibus exue cultus.
Lunatum tegmen capitis depone, monile
Baccatum gemmis; meritas pro torque catenas
Bellua, tartareas pro veſtibus indue flammas,
Cingula conficiant ſpiris immanibus angues,
Proque Sacerdotum cœtu comitante minorum
Ambiat ætra latus Stigiarum turba ſororum.
Iam ſat habes, alio conuertat muſa furorem.
Deuoueat latium carmen furiale tribunal.
Execrande, ferox Iudex, quo iudice credam
Dirius eſſe nihil, iuſti ſub imagine, inique,
Tune lauas impure manus, ſpargiſque cruorem?
In-

Inſontem verbis declaras, verbere mactas?
Vt parcas miſero, proſcindis membra flagellis?
Contemnis ſuperùm, formidas Cæſaris iram?
Quæ tibi pro tanto debetur crimine pœna?
Pro pœna eſto tibi primò mens conſcia culpæ.
Dein quoniam formidaſti malè Cæſaris iram,
In malè vitatas incurras Cæſaris iras.
Eque tribunali deiectus, vincula collo
Excipias merito, teneantur compede crura:
Inque cauernoſi tumulatus carceris vmbris,
Offuſas patiare oculis, animoque tenebras,
Qui verum quondam renuiſti cernere ſolem.
De nocte hac gemina, caligine merſus auerni
Tandem infelici propior ſtatuaris Iudæ,
Iam ſat habes aliò conuertat muſa furores.
Nunc age muſa nouos inſpira in pectora ſenſus.
Quandoquidem ſæuo non vnum carmine monſtrum
Deuoueo; regna, & populos, genteſque rebelles
Templa, domos, vrbes, ciues inuolue ruina.
Vrbs olim dilecta Deo, quæ nomine pacem
Prętulit, horrendi pandat ſpectacula belli.
Ciuilique natet natorum in cæde ſuorum,
Eumenidum hoſpitium, martis, mortiſq. theatrum.
Nec tamen hæc finis, ſed fax ſit prima malorum.
Eſto Romanus diuini virga furoris.
Quod ſi Romanus tardet, conuerſa triſulcas
Diſſipet in flammas armamentaria Cœlum.
Damnatam fatis, tellus abſorbeat vrbem,
Siue profundarum lateat ſub gurgite aquarum.
Sed non tardabit Romanus, vt auguror ille

Vndique belligeras accerſet in arma phalanges.
Audio iam ſonitum, video volitantia ſigna
Sanguineo camporum equitantis in æquore martis.
Ah fugite, ò miſeri fugite! & deſerta remotis
Antra iugis, cæcos nemorum penetrate receſſus,
Caucaſeoſq; ſinus, & inhoſpita littora ponti
Quærite, ſiue æſtus Lybiæ, Zonæq. rigentis
Frigora, ſint veſtro ſedes malè tuta timori.
Exilio vobis Regio quæcumq. placebit,
Sed Patriam vitate, lares horrete paternos,
Et terram, quæ vos genuit, ſtruit illa ruinas,
Atq. ſibi atq. ſuis buſtum miſerabile natis.
Auſoniæ en Aquilæ properant acuuntq; feroces
Roſtra, paleſtinum ſitientia roſtra cruorem
Romanus Solymam iam quaſſat victor, & æquat
Prona ſolo, ſteterant quæ proxima culmina cœlo.
Parce (precor) Romane, graues compeſce furores.
Cur Cœlo ſacros diro quatis ariete muros?
Templa dicata Deo ſcelerata cuſpide pulſas?
Hoccine Romanum eſt? pietas hęc nota Quiritum?
Sed quid ego effudi ſtultè pius impia vota?
Perge age funereos auge Romane furores:
Et meriti Auſonio procumbant ariete muri,
Et merita Auſonia frangantur cuſpide tecta,
Quæ ſuperùm, texere ſuis penetralibus hoſtem.
Dirue templa, Deo quæ non patuere, nefandis
Verte, prophanatas fœdè cultoribus aras.
Crede mihi, ſcelus eſt ſceleratæ parcere genti:
Si non illa Deo, Patriæq. ſibiq. pepercit,
Ergo euadendi miſeris ſpes nulla ſuperſit.

Sed

Sed nec honoratæ pateant per vulnera mortes.
Cum turpi ſint bella fame, ſurat oſſibus hoſtis
Clauſus, & exhauſto populetur ſanguine vitam.
Fœmina ſit vultu, ſed corde, animoq. leæna.
Vitam quam proli dederat, quæ à prole repoſcat,
Maternumq. vterum, nati conuertat in vrnam.
Nec tamen hic finis tantorum aut meta malorum,
Vrbem muſa ſolo diris vltricibus æqua.
Sacra Deo moles, longos venerata per annos,
Pulcra, Auguſta, ingens, millenis ſulta columnis,
Clara auro argentoq. micantibus aſpera gemmis,
Tota iubente Deo flammis crudelibus hauſta
Diffluat in cineres, auri argentiq. metalla
Igne liquata fluant riuis, queis ſanguine mixtus
Iudæo torrens, pretioſa clade tumeſcat.
Omnes Romana ſternantur cuſpide turres,
Omnia Romanæ populentur culmina flammæ.
Regia tot Regum venerabilis illa Sionis,
Quæ renuit Cœli, terræque agnoſcere Regem,
Concidat ingrata, & proprijs tumulata ruinis
Inclita conſumat veteris monumenta decoris.
Scrutatuſque oculis, veſtigia nulla viator
Dum reperit, fatum miſerans ſuſpiret, & vrbe
De tanta, ſolum miratus nomen adoret:
Erraui, vrbem execratus, quoq. nomina damnet.
Quis cladem ſperet populorum æquare canendo?
Nempe fame, & gladio mactata, è gente rebelli,
Vndecies centena abſumat millia lethum.
Si qua ſuperſtes erit tanto de funere turba
Inuideat cæſis populis, patriæque ſepultæ.

Illa quidem (heu !) plenis ſpectacla datura theatris
Siue in pugnantum dentes ſubitura ferarum,
Siue iterando ſuas per mutua vulnera clades,
Funereis ludis oculos paſtura Quiritum.
(Quidquid atrox etenim quidquid crudele ferendum
Inferias vni ſoluent tot funera morti. eſt)
Sed non ſufficiunt vni tot funera morti.
Excidium Iſacidum, templique Vrbiſque ruinæ
Sunt anguſta nimis cineri ſolatia tanto:
Grandior Heroi debetur victima Diuo.
Illa potens bellis, & proles credita Martis,
Qua nulla extulerat caput imperioſius aſtris,
Occaſum læua, dextra cunabula ſolis
Contingens libiæ flammas, glaciemq. trionum,
Oceanum, & mundi fines ad vtroſq. cucurrit:
Poſt Cremeram & Trebiæ luctum, Cannaſq. cruentas,
Auctior à damnis, poſt cladem inuicta reſurgens:
Tandem perpetuis furijs lacerata ſuorum,
Succumbat Romæ, quæ Romæ ſubdidit orbem.
Romanus Regi Cœleſti vincula miles
Intendit collo, prætor Romanus iniquo
Iudicio damnat, ferro latus hauſit apertum
Romano miles, nondum pius, ergo nefandum
Roma luat facinus. Solymam prius illa domabit,
Hoſtis Romam alius, cruor inuocat vſq. cruorem.
Tunc populus domitor populorum, & prædo, trophæis
Eſto præda ſuis, munduſq. repoſcat ab omni
Parte, triumphatus ſpolia. Arx regni alta latini
Corruat, ereptaſq. fleant capitolia laurus.
Romuleas aras diſturbet barbarus audax:

Theu-

Theutonus inſultet Marij, Cimberq. ſepulcro.
Sic immane nefas Aſia atq. Europa piabunt
Regnorum excidijs, populorum clade: perempto
Sed debetur adhuc grauior vindicta Tonanti.
Inſolitas ergo clades, aliaſq. ruinas
Molior infelix Vates, finemq. ſupremum
Naturæ rerumq. occaſum & funera mundi.
Diuinos quia lenta nimis Natura labores
Pertulit, & ſontes ſubito haud tumulauit Hiatu
Terra ruens, neque carnifices toto æquore fluctus
Obruit, aut cecidit furibundum in fulmina Cœlum:
Terra, aer pœnas pelaguſq., & ſidera ſoluant.
Acceleret ſuprema dies, qua machina mundi
Motibus horrendis tremat externata, cruenti
Vt modò nutauit feretri ſub mole laborans.
Sol qui diuini lacrymauit funera ſolis
Syrmate funereo, caligine rurſus amictus
Nigranti, ploret morituri funera mundi.
Tunc nimiùm veris erroribus, aſtra rotatus
Incertos peragant, impellat & ire timentes
Per Cœli campos atratos, Luna quadrigas.
Ordine turbato diſſultent fœdera rerum.
Et mare cum terris Cœliq. cremata coruſcent
Atria. Iuſta Deo moriens Natura ſepulto
Soluet, & euerſus vix digna piacula Mundus.

FINIS.

SAL-

SALTATIO AD CHRISTI SEPVLCHRVM.

Saltationem canimus ad Diuinum tumulum peractam, coram Matre Virgine, & cætu Heroum, qui Deo moriente reuixerant. Qua ſaltatione veteri more diſerta, Chriſti natalis, mors, anaſtaſis, aſcenſus triumphalis deſcribuntur.

PErge nobilis caterua, cætus Heroum ſacer,
Tuque Dauides renati Dux canorus agminis,
Perge buſtum glorioſum circumire ſaltibus,
Et rotata circinare mille membra flexibus.
Saltat æther, ſaltat vnda, ſaltat agmen ſiderum
Fulgurantes æmulatum ſolis in ſaltu modos,
Saltibus qui fingit annos, ſaltibuſque ſæcula.
Eia nobilis caterua, cætus Heroum ſacer,
Perge Buſtum glorioſum circumire ſaltibus.
Factus ipſe fertur olim rite ſaltator Deus,
Quando ſaltibus Gigantis regna linquens patriâ
Arce Olympi deuolutus, ſponte ſe in terras dedit
In-

Inque ventris Virginalis, condidit ſponſus ſinum.
Emicantes tunc cateruæ fulgurarunt cælitum,
Et ſonoribus lirarum conſonabant ſaltibus,
Terra, Cælum, Pontus, ignis læta fudit murmura.
Talia dum reſonat fidibuſque notiſque canoris
Cæleſtis fidicen facili Dauid omnia ſaltu
Exprimit, & primo dios imitatur amores
Numinis, humano ſpectantis ab æthere caſus,
Et lapſi generis ſortem miſerantis iniquam.
Deinde refert valido ſaltu, ſe præcipitantis
Illapſum Verbi, magnæ genetricis in aluum.
Atque breuem ſaltum giro breuiore coercens,
Immenſum anguſto concludit carcere Numen,
Fingit & arctatum materno in ventre Tonantem.
Liberat hunc modico parua ad cunabula ſaltu.
Sed cunas humiles humilis deſignat, & ore
Lacrymulas tergens, ſtupet inter vincula dextram
Torpere, aſſuetam flammas torquere triſulcas.
Hæc Dauid: rurſus fidicen cantu ora reſoluit.
Saltus at ſecundus eheu, lacrymabilis fuit!
Horridus, feralis, atrox, durus, immanis, ferox,
Saltus ille, quo cruentus iuit in crucem Deus.
Funerantes tunc cateruæ lacrymarunt cælitum:
Et ſonoribus lirarum condolebant ſaltibus.
Terra, cælum, pontus, Aer mæſta fudit murmura.
Talia dum reſonat, citharaq., & voce gementi
Sidereus fidicen, tragico Dauid omnia ſaltu
Exprimit; horrorem primò languentis in horto
Numinis, attonitiſque oculis, in vota parentem
Supplice poſcentis vultu, dum fuſus adorat

Ge-

Genua ſolo, & toto procumbit corpore terræ.
Hinc ſubitò erectus molitur in ardua ſaltum,
Inuictos animi ardores imitatus euntis
In medias acies, & tela minantia mortem.
Sæuaque manſuetum præbentis ad oſcula vultum.
Iam miſer incedit manibus poſt terga reuinctis
Velatiſque oculis velantes cernit, & offert
Ludibrijs faciem, & lanianda furentibus ora:
Iam tunica exuitur, iam præbet dorſa flagellis.
Heu quid agis bone ſaltator? iam deſine ſaltus
Crudeles! viden vt ſpectantis talia matris
Intempeſtiuis maduerunt fletibus ora?
Quis furor eſt plagas miſeræ renouare recentes?
Tempora lætitiam poſcunt meliora: parenti
Quot ſaltus libras, vibras tot ſpicula cordi.
Ergo nouos fidicen in cantus ora reſoluit.
Orbe poſtquam congemente, ſpiritum fudit Deus
Rurſus egit ille ſaltus, in ſepulcrum de cruce.
Nec teneri mortis atræ vinculis numen poteſt,
Quin ſubacta tartarorum tendat in gurguſtia.
Numen agnitum, cateruæ palluere Dæmonum,
Et catenis, & querelis obſtrepebant ſaltibus:
Vindicata gens piorum, læta fudit murmura.
Talia dum reſonat fidibuſq. notiſq. canoris
Sidereus fidicen, celeri Dauid omnia motu
Exequitur, validum librat pede præpete ſaltum,
Pulſatamque premit tellurem, mole minori
Subſidens, qnaſi tartara,& imum acheronta penetret.
Hinc rurſum erigitur repetitis ſaltibus acer,
Nec mora, nec requies, nunc huc, nunc proſilit illuc;
Et

Et toto inſequitur fugientes Dæmonas orco.
Sublimis lento graditur victoria paſſu.
Hæc Dauid: rurſus fidicen cantu ora reſoluit.
Perge muſa, luctuoſas barbiti muta fides,
Vltimum dictura ſaltum, quo relictis inferis
Iam ſubacto de barathro, Chriſtus ad mundum redit,
Et triumphatæ cateruas noctis in ſolem rapit.
Qualis Alpium niuoſis limpha decidens, iugis,
In canalibus rigentis æris expugnans moras,
Vallium in depreſſa quantum lubrico tendit pede,
Illa tantum colliquenti ſurgit ad cælum fuga:
Talis aureis olympi ſedibus lapſus Deus,
Vt penetrauit profundos ſedis infernæ lares.
Inde rurſus ad micantis exilit mundi plagas,
Et parentis ſempiterni victor ad dextram ſalit.
Riſit Orbis, riſit æther lumine afflatus pio,
Et nouella fulgurauit vulnere à quino, dies.
Talia dum reſonat, fidicen, Dauid omnia fingit
Saltibus, & primo domitorem mortis, & orci
Liberat è tumulo, reuolutaq. ſaxa repellit.
Deinde alium, atq. alium (dictu mirabile) ſaltum
Vibrat in aerios tractus, tellure relicta
Subſiliens, donec tenues ceu fumus in auras
Labitur, attoniti deludens ora theatri.
Obſtupuere alij, tanti ad miracula ſaltus,
Hactenus inuiſi: venturi conſcia virgo
Sperati iucunda legit ſimulachra triumphi.

FINIS.

SCE-

CENÆ ABRAHAMI SACRIFICIVM.

PROLVSIO.

ABRAHAMI Sacrificium canimus, & mortem Filij Dei, Abraham ſiquidem Iſaac offert, ſed immolat Chriſtum; nec aliud aries ille cornibus implicitus inter ſpinas, quam Chriſtus coronatus, & crucifixus. Conſentit idem vtriuſque ſacrificij locus mons Moria, idem vtriuſque immolati pater, ſiue in typo Abraham, ſiue in prototypo Deus.

ABRA-

ABRAMI fortem contra ſua viſcera dextram,
Iſaci intrepidum patris erga vulnera pectus,
Muſa refer, diæ ſimulacrum nobile mortis.
Scilicet vt funus languentis cernere ſolis
Non bene ſufficiunt oculi, ſi quando nitores
Cynthia fraternos pallente intercipit orbe:
Sed liquor in pelui Cœlum depingit, & vndis
Palpitat in tremulis, ſolis morientis imago:
Haud ſecus æternos nati, & genitoris amores,
Queis hominum pro ſtirpe, neci natum obtulit alter,
Se natus, nequeas mentis defigere viſu,
Diuinos humana refert pictura labores,
Abramidæ fatum, moriturum numen adumbrat.
Panditur ergo virens herboſi ſcena theatri
Intonſis turrita iugis, redimita coruſcis
Arboribus, paſſim riguis chriſtallina riuis.
Sed qui nam ſummi properant ad culmina montis
Coniuncti parili greſſu? quantum inſtar in illis?
It puero comitante ſenex, gladiumq. faceſq.
Ipſe ferens, puer altari ligna apta ſtruendo,
Fatalemq. ignara piram ſibi victima portat.
Ambit canities rugoſam argentea frontem,
Maieſtas vultum, multus Deus ora colorat.
In pueri egregij forma, fax alma iuuentæ
Purpurat, ora pudor pingit, feſtiua ſerenis
Gratia luminibus, puros venatur amores.
Numquam Phidiaco talis cælamine vultus
Spirat, Apelleæ valeant nec fingere ceræ,
Quamuis omnigeno populatæ à flore decorem.
Par licet ambobus pietas, par numinis ardor,

Quam

Quam diſpar animorum habitus? Senis aſpera pectus
Cura coquit, frontemq; obnubilat vmbra doloris,
At frons lęta nimis puero, ceu ponderis expers
Exultat, modò patris iter præit, inde recurrit
Ad patris amplexus, puerilia & oſcula iungit.
Sed mirum, quid vterque tacent? nec tædia fallunt
Iucundo ſermone viæ? defixus in vno
Obtutu tenet ora ſenex, & mente reuoluit
Neſcio quid dirum, tragicum, crudele, cruentum.
At puer impatiens tam longa ſilentia rumpit,
Mæroremque patris dictis iuuenilibus auget.
Ecce parata ſacris ſunt omnia, victima vbi nam
O pater? an linquens ſtellata volumina ſaltu
Taurus, ſiue Aries cadet hoſtia grata Tonanti,
Pro ſtellis gaudens gemmis radiare cruoris?
Dixerat: his genitor percuſſus vocibus hæret
Ambiguus, mentis tentari arcana repoſtæ
Nam videt; è manibus tunc ipſe trementibus ignis
Excidit, & vario vultus pallore notauit,
Multa putans. Veteris moderator vt ille carinæ
Longæuus, tumidis quem ſæpe agitata procellis
Explorauit hyems, ſi pontum irrumpere cernit
Neſcio quà victorem, naufragiumq. parantem.
Talia tum ſecum voluit: cur nate parentem
Appellas, quem carnificem experiere? parentis
Nomen amoris erat, nunc nomen triſte doloris.
Heu quid agam? pandam nato lugubre roganti
Numinis Imperium? at durum eſt occidere prolem,
Ante necem, verboque prius quàm lædere ferro.
Quid ſi præueniat ferrum dolor? aut metus ipſe

N Fata

Fata trahat? deerit poſcenti victima cælo,
Nec natus viuet, nec vito Numinis iram.
An ſecretum vt grande premam, mendacia fingam?
Fraudibus ergo placet morituram illudere prolem,
Et violare dolis? qua nam, qua deinde, puelli
Fronte parens homicida feres, & perfide vultum?
Hei mihi, multiplici curarum diſtrahor æſtu.
Cur non me potiùs superùm Rex deſtinat aræ?
Si ſuperùm pietas contenta eſt ſimplice letho,
Ecce duos vno perimet ſub vulnere: cædem
Nate tuam, patrius ſanguiſque, animuſq. ſequetur.
Quò me tam longè dolor abripit improbus? aſtris
Parendum eſt, quocunq. vocant. Reſponſa roganti,
Hoc age, da nato, in totum nec vera tacebis,
Nec pandes, varia verborum ambage reconde.
Hæc poſtquam ſecum exegit, dein talia fatur.
Parce puer ſummi ſcrutari arcana Tonantis.
Quid dubitas, rerum auctori ne victima deſit?
Cui volucres Cæli viuunt, cui ſpirat in vndis
Squammigerum genus, atq; animantum corpora tellus
Diues alit, cui nos, ſi gloria tanta vocaret
Immeritos, nos ſponte pias caderemus ad aras.
Sed quæcumq; ſe meum maculabit victima ferrum,
Chara nimis, ſpecioſa nimis, nam è millibus vna
Lecta Deo, agnus ſeu vitulus, ſeu purior agno,
Et vitulo forſan generoſior, illa beanda eſt
Morte ſua; at matri ingentem paritura dolorem,
Maiorem paritura patri. Vix vltima verba
Paſſus abire dolor, ſubitòq. per ora volutæ
Iniuſſæ lacrymæ, officium impleuere loquentis.

Tum

Tum niſi quod ſimplex puer eſt, ac neſcius artis,
Mille notis poterat patrios deprehendere ſenſus.
Sed rudis, ac pius, eſſe putat, vel Numen amantis
Indicia, aut aliud, quam ſe, & ſua fata dolentis.
Ergo dat amplexus, atque oſcula; mitte dolorem
Mi genitor, ſi me (inquit) amas. Quid agis puer? auges
Luctum, dum minuis. Quòd amat genitor, ſua plorat
Pignora; tempus erat, quando dulciſſima nati
Oſcula lenibant patrij quoſcumque dolores
Pectoris; hæc medicina malum nunc dulcis acerbat,
Solandoque facit inconſolabile vulnus.
Interea ſummi ad faſtigia montis anhelant.
Ah puer infelix! cunctantem ſponte parentem
Anteis exultans, ſortiſque ignare futuræ.
Si neſcis, fatum acceleras; à culmine montis
Nam quantum diſtas, diſtas à fulmine mortis.
Sed quid ego læuus morituri gaudia turbo?
Perge age chare puer, gaude, lætare, triumpha
Dum licet; hora breuis mutabit gaudia luctu.
Et iam lugubris tenuere cacumina Collis,
Iamq. piram genitor vicino à funere prolis
Pallidus aggreditur, ſuſpiria pectore ab imo
Crebra trahens, manibus torpentibus haud ſemel ipſa
Ligna cadunt, lacrymis & penè extinguituri ignis.
At puer ignarus, quantum ſpectaret ad ipſum,
Quod properabat opus, ſibi funeris arma parare,
Extremumque vrgere rogum, ramalibus aram
Accumulans, atraque tegens capita alta cupreſſu,
Miratur, tantùm quòd adhuc electa moretur
Victima, mirante in tali ſermone puellum.

Occumbat Abramus. Iam tandem ſtruximus aras,
Suggerimuſq; faces, nec victima cernitur vlla. (aſtris
Nate, quid hoc monſtri eſt? niſi quòd noua poſcitur
Victima, ſancta magis, nimium & dilecta Tonanti.
Non pulcher conſanguinei dolor agnus ouilis,
Corpore non præſtans, lunata aut fronte iuuencus,
Hoſtia, ſed placat diuinum humana parentem.
Ergo etiam humano placatur ſanguine Numen?
(Excipit hìc natus) ſapiens placet hoſtia Cœlo?
O fortunatum quem ſors hæc deſtinat aris!
Ille vbi nam eſt, oſtende parens? vt pronus adorem
Tam charum Cœlo caput, & ſancta oſcula libem.
Forſan, & ille meis non multum diſtat ab annis.
Verùm vbi nam latitat? ſylua num clauſus in illa?
An circum hìc aliqua in gremio ſpelunca recondit?
Anne vehunt ſuperi pignus cæleſte per auras? (nate,
Tum pater heu gemitus male frœnans. Victima
Victima non procul eſt, obtutibus obuia noſtris,
Mene vides? ego te? noſtrum alter victima cœlo
Debetur. Subitus terror nati impulit aures.
Lux mea, ne dubita, ſortem hanc ſperare parenti
Iure datur, meritæ ſunt debita fata ſenectæ,
Extremum hoc æui iuuat ò! iuuat addere cęlo.
Ergo age ſtringe manus vinclis, & vulnera vibra.
Quid dubitas? lucis facilis iactura ſenilis,
Viuendo, longos didici contemnere ſoles.
At tu viue, meos qui viuere dignior annos,
Viue tuos, Regum ſobolem geniture, Ducumque
Et Diuum. Te relliquias, cinereſque paternos
Fas legere, & multum dolituræ ferre parenti,

Inde breui luctu patrios ſolabere manes.
Sic ille. Hìc poſtquam ſubitæ formidinis atram
Diſcuſſit nebulam, generoſo pectore fatur.
Vt ferrum condam patris in ceruice, ſacerdos
Infandus? cædemque tibi pro munere vitæ?
Non hoc ſancta ſinunt naturæ iura, nec æqui,
Non ætas patitur, non certè mandat Olympus;
Ipſe nec à teneris ita me pater imbuis annis.
Si ſedet hoc ſuperis, humana vt victima Numen
Placet, adoratas natus procumbat ad aras.
Quod mihi ius in te? noſtræ vitæq., neciſque
Tu dominus, vitam dederas, vitam ecce reſigno.
Annos chare pater fruſtra miſeraris acerbos;
Eſt matura ſatis, quæ Cœlo poſcitur ætas,
Sic vnum vixiſſe diem, vel ſecula vincat.
Non dabitur Reges, Diuoſque habuiſſe nepotes,
Rex ego, Diuus ego, ſceptris tranſcribar olympi.
Eia age, do iuglum, cape ferrum, in viſcera conde.
An metuis, ne forte capax ſit mortis honeſtæ
Hoc pectus? paruo mihi mens in corpore magna eſt,
Vix delibatam fortis contemnere vitam.
Quid ceſſas? per ego has lacrymas, araſq. pias, te
Per ſanctos ignes, & conſcia numina cordis,
Cede precor genitor, mihi dulcē hunc cędis honorem,
Indulge lethum, lucis qui dona dediſti.
Talibus orantem dictis, lacrymiſq. rigantem
Ora pater medio ſic interfatus amore eſt,
Argumenta ſenis puero ſoluente viciſſim.
Nate, negas patri vitæ pro munere mortem?
Reddo patri natus, vitæ pro munere vitam.

Bos vetus occumbat, iam faſtiditus aratro.
Bos tener occumbat quem Cœlum inuidit aratris.
Obſequere hoc etiam, ſolitus parere parenti.
Cœtera ſi ceſſi, hoc vnum mihi cede roganti.
Vt vellam tenero viridantem in germine florem?
Sic aræ impoſitus ſuaues halabit odores.
Vt natum perimam pater exitialis ad aram? (quam.
Sæpe pater natum, haud natus patrem immolat vn-
Quem genui vt vita ſpoliem? Tua dona reſumes.
Ergo mori es certus? Vitæ nam qualis origo,
Mors mihi? Acerba nimis puero. Sed dulcis amanti.
Sic patrem & matrem linques? Deus omnia ſolus.
Dulce ſolum patriæ? Cęlum dulcedine vincet?
Deſine plura pater. Simul his dictis, furibundo
Impatiens aram ſaltu capit (O pia mentis
Æternùm memoranda audacia) collaq. nudat.
Tum genitor teneræ ſtupefactus numine mentis:
Vince (ait) ò fili, palmaq. potire cruenta,
Indolis ò quantæ fili! digniſſime ſeclis
Viuere, ni præſtet vitam donare Tonanti.
Vince puer; Sed non vincis, quia funera cedat
Sponte pater, te Numen amat, te altaribus vnum
(Vera fatebor enim) poſcit, tenuitque ſenilem
Hanc animam, puris placet inſons victima diuis.
Gaude ſorte tua, & meditare in morte triumphos.
Annuit his puer inflexa ceruice, breuiq.
Pallorem vultus hilarauit fulgure riſus,
Qualis flamma ſolet percurrere lumine nimbum.
At genitor charis circundat vincula membris.
Ecce autem nigro properans in ſyrmate nimpha
Qua-

Quales fert ſyluis dryades errare vetuſtas,
Neſcio qua de parte micat pulcherrima, vultu
Cui decor in triſti luget, paſſiſque capillis.
Seu mens diua loci cuſtos, ſociare querelas
Sic voluit miſerans, anne inſidioſus auerni
Tentamenta mouet genius? certe ariete nullo
Mens magis Heroum ſudat quaſſata duorum.
Nam dulci cantus hoc ore effudit, & vna
Flebilis aura ſonat, reſpondent flebile ſiluæ.
Nobile par æuo, & lachrymabile perge futuro.
O pater infelix, natum qui ſiſtis ad aram!
O nate infelix ferro periture paterno!
Quis veſtrum miſerabilior? cui lugubre carmen
Noſtra prius debet lyra? patri, funera nato
Qui ſtruit, an nato expectanti vulnera patris?
Heu miſerande ſenex! miſerandus tu quoq. pupe?
Ambo ſorte pari mactandi, victima vterq.
Ipſe dabis ferro iugulum, cor ille dolori.
Dignior at lachrymis, quæ vita dignior ætas.
Ah puer infelix, prima extinguere iuuenta.
Mors florem ætatis viridi decerpit aprili.
Tu proles riſus materni, omenque doloris?
Tu germen promiſſum? Hæc ſpes iurata nepotum?
Per te conſurget ſoboles generoſa per orbem,
Quot ſtellas polus enumerat, quot littus arenas,
Regnatura ſolo, cœlumque auctura trophæis
En ſoboles illa? hoc regnum, pulchriq. triumphi?
Siccine poſteritas ictu cadet omnis in vno
Tanta? tuaque expirabunt tot ſecula vita?
Speraſti tædas puer ò formoſe iugales,

Fata dedere rogos; pro coniugialibus aras
Funcreas thalamis, vbi pro ſponſa, tibi mors, heu
Immatura nimis! primo iungetur in æuo.
Interea ſobolem vinclis aſtrinxit amatam.
Attonitus luctu, genitor qui ne cadat ipſum
Inter opus, retinet parendi cura Tonanti;
Sufficit & vires, obluctaturque dolori.
Ergo ſtatim rapit arma ferox, enſemq. recludit.
Nate, ad cœlum oculos; ibi corde, animoque fideli
Quære Deum, inuiſamque manum ferientis adora.
Vulnus ama, quo te Deus, & pia dextra parentis
Immolat. Hæc fatus, ter fulmineum extulit enſem,
Ter patriæ cecidere manus; tandem impete toto
Dextra ferebatur, cùm vox cęlo intonat, Abraham,
O Abraham. En adſum. Stellata in veſte miniſtrum
Reſpicit ætherium, nixum fulgentibus alis.
Siſte, probata fides (inquit) cœlo tua, viuat
Spes generis, ſat habent præludia, cœtera Numen
In monte hoc perfecta dabit, peragetque cruenta
Prolis cæde ſuæ, ſacra. Erit Deus hoſtia mundi,
In cruce, diuinos plangent elementa labores,
Rapta dies, rupti montes, tellusque reſultans,
Vnda fremens, vlulans Erebus, maneſq. vagantes:
Tanta feret meritos in fine Tragœdia plauſus.

FINIS.

SAM-

SAMSON LVDENS

PROLVSIO.

IN veteri teſtamento nullam Chriſti vitæ, mortiſque picturam expreſſiorem inuenias, quam Samſonem. Vterque Nazarenus, & à Matre alter Virgine, alter ſterili conceptus; Angelo prænunciante liberatores futuros hunc Iudaici generis, illum humani. Samſon Leonem ſuperauit figuram ſeculi, ac Tyrannorum: quorum feritate à Chriſto perdomita exiuit è potente dulcedo virtutum. An Leo ille laceratus, Chriſti humanitas fuit, in cuius mortui ore cibum mellis inuenimus? Certe vt Samſon iumenti maxilla pro claua, hoſtes debellauit, ita Chriſtus non diuinitatis armis,

aduer-

Digitized by Google

aduerſarios ſuos, ſed inermi humanitate confecit. Ille Gazæ portas, hic ferreos Inferni vectes confregit, ambo cætera inuicti, ob amorem proditi; nam Dalilæ furor, Christi charitatem adumbrat. Ambo catenas, & ludibria experti, erutis oculis Samſon, velatis Deus. Sed magno Philiſtæis conſtitit illuſa fortitudo, excidio regni ſui Satanæ conſtitit patibulata Diuinitas. Per vnam denique Samſonis mortem, Iudæi liberi, cum ante ſeruirent: ab vna Dei morte Iudæi, ac gentes libertatem, & ſalutem acceperunt. Dum itaque nos id temporis ludentem Samſonem allegorico carmine imitamur, veſtrum erit, alia audire, alia intelligere.

CAR-

CARMEN.

SCilicet hæc miſeræ deerant ludibria ſortis!
Vt bellatorum Phœnix, fortiſſimus ille
Nazareus, ſacro viduatus honore comitum
Orbibus effoſſis oculorum, luderet vltrò
Ante Philiſtæas ſaltu titubante cateruas,
Proh facinus! victæ data præda, & fabula genti.
Agmina circumfuſa virum, iuuenumq., ſenumq.
Vndique Samſonem ludentem illudere certant.
Quo ruitis, cœcumque heroa laceſſitis? eheu
Vos etiam cæci! ſine cæde, ac ſanguine rarò
Torpenti lepores inſultauere moloſſo.
Quondam etiam miſeros reſpectant numina, ludus
Qui fuerat, clades pro ludo ſæpè rependit.
Luna bis æthereum iam plena, peregerat orbem,
Ex quo Samſonis vires cum crinibus hoſtes
(Fœmineus dolus) abſtulerant, & lumine caſſum
Carcere damnarant, geminata in nocte ſepultum.
Cum variæ gentes, omnique à limite regni
Vndique turba fluens Gazam, ad ſolennia feſto
Conuenere die, ſtudijs excita videndi
Captiuum, gentis cladem, Samſona, ſuiſque
Gratatura Deis; reſeratis omnia valuis
Templa patent, nulloque vacant à limine frondes.
Ductores primi, tyriaque in veſte ſenatus
Aurea dona ferunt, & ſaxea numina ditant.
Thure calent aræ, & cum ſyluis tota propinquis
Vritur Arabia, vt pretioſos halet odores,

Dum

Dum centum impoſitis ardent altaria tauris.
Quin ſurdos feriunt votiuo carmine diuos:
Plurimus ore Dagon, quem gens vaniſſima Martem
Faſſa ſuum, galea inſignem caput, ægide pectus
Marmorea, dextraque in morem fulminis haſtam
Torquentem, ceu victorem Samſonis adorant.
Nec non, & ſacris conuiuia lauta peractis,
Concelebrant: timidi patres, & læta iuuentus
Diſcubuere thoris pictis, quæſitaque ab omni
Parte tributa litant genio, Mareotica ſiccant
Pocula, & inuitant abſtemia numina menſis.
Poſtquam epulis placata fames, inſana cupido
Ludorum exagitat; Samſonem ad regia duci
Tecta iubent, iuuat infractos ſpectare minacis
Victoris vultus, deformiaque ora cauatis
Orbibus, & ſanie, atque vltores paſcere viſus.
Scilicet vnus erit cæcus pro mille Tragœdis,
Captiuuſque dabit populis ſpectacula Samſon.
Ille catenatus ſpatioſo in carceris antro
Frangebat cererem ſaxo, indigeſtaque vitæ
Pabula; marmoreumque molæ verſatilis orbem,
Quem vix coniuncta traherent ceruice iuuenci,
Voluebat, fortiſque ſuæ ſimulacra rotabat.
Infœlix! quem fata nouis inimica reſeruant
Ludibrijs: en dilectis è carceris vmbris
Abſtractus, quod morte viro crudelius ipſa eſt,
Poſcitur ad ludos Samſon, & ſibila vulgi.
Ille fremit, rabiemque ferox ſub pectore verſat
Immanem, nam cæſaries floreſcere ſenſim
Incipit, & notæ reuocari ad priſtina vires.

Sed ſilet, ingenteſque iras premit; apta nocendo
Tempora, dum fauſto conuoluant ſydera gyro.
Ac veluti Leo, quem rigido exarmauerat vngue
Venator, domitum vinclis, & carcere cæco:
Ille quidem veteris graditur non immemor iræ,
Ingentique animo meditatur prælia ſecum,
Paſtorumque, canumque neces; ſed fronte ſerena
Diſſimulat, tacitumque nefas ſub pectore voluit;
Dum creſcant vngues, & fors mutata ſecundet
Magnanimas furias. Quas tunc dabit ille ruinas?
Quæ pecorum exitia, & Paſtorum funera regnis?
Surgebat Gazæ tectum ſublime columnis
Centenis, patribus quæ curia, templa Dagonis,
Ludorumque eadem ſedes. Curuatur in arcus
Bis ſenos ſpatioſa loci teſtudo, theatri
In morem, geminæ in medio ſtant fulcra columnæ.
Aduerſa de fronte Dagon; cui lampade in aurea
Perpetuo ante aras ignis collucet oliuo.
Hic patefacta domus ſolaria; pulpita circum
Lignea per muros, & plena ſedilia turbis,
Samſonem opperiunt. Qui poſtquam conſtitit vnus
In medio caueæ, ceu captus lumine Cyclops,
Aut ingens fera, plaudentum ferit aſtra tumultus.
Tum puer erumpit primæuo flore decorus,
Cui lac ore natans melli ſuffunditur; errant
Auratæ per colla comæ, toga luſitat auris.
Hic cytharam quatiens, cantus Samſona ſalutat,
Et blandis ad ſaltum, & ludicra bella laceſſit
Vocibus; ò duri ſoboles certiſſima Martis!
Quid dum ſanguineis ſpargebas funera campis,
Pulſa

Pulſa Philiſtææ vertebant terga Phalanges:
Quem, ſi quando graui pulſares cuſpide turres,
Non adamantæo retinerent mœnia vallo.
Cui Bellona parens, cui Iuppiter ipſe triſulci
Fulminis afflauit vires, & credidit iras:
Quin ſolij partem ſtellati, & ſceptra dediſſet
Omnia terrarum, niſi tantum Heroa domaret
Fœmina, & inuictus bellis, ceſſiſſet Amori:
Cœcus Amor cœco nunc de Samſone triumphat;
Verum age, non omnis perit vno vulnere virtus.
Num Samſon perijt totus cum crine feroces
Num cecidere animi? nec habet tam magna ruina
Relliquias? & nulla ſuper Samſonis imago eſt?
Quò grandes abiere auſus, cum clauſtra reuulſa
Portarum, raperes ad culmina montis anheli?
Aut quando fulmen nemorū, & cladem armentorum
Auſus es immanem lacerare in fruſta Leonem?
Macte animis. Si fata negant reuireſcere totum
Samſonem, partem reuoca: tot fortia facta
Saltando referens, actos imitare triumphos.
Dulce quidem miſero renouare in clade trophæa;
Amiſſoſque oculos ſolabere lumine famæ.
Dixit at Herois ſenſit generoſa ſuperbi
Nobilitas, ignominiam ſub laude latentem.
Hoſtili cæcus ſpectacula pandere vulgo
Abnegat, & pleno riſus præbere theatro.
Ante ſuum telis fodiendum immitibus, offert
Pectus, & erecta poſcit ceruice ſecures.
Sed quid agat? crimen fortunæ euadere tentat
Incaſſum; violenta fremunt circum agmina; iam iam

Incurrunt pugnis, iam in lumina vulſa cruentos
Intendunt digitos, ni pareat, omne minantur
Opprobrij genus, & famæ poſt funera, vitam.
Ergo demiſſo ſuſpirans vertice fatur.
Pone animos veteres Samſon, habitumq. recentis
Indue Fortunæ; domitum te denique diſce,
Et fractus ſuccumbe malis. Nunc ſentio vires
Auulſas cum crine, diem nigrum, & ſpecioſæ
Perfidiam furiæ, & noxa infelicis amoris.
Ergo Samſonem ſaltantem hæc regna videbunt?
Errantiſque pedes, ſine lege, modoque vagantes
Illudent? cernent ſuperi, & vos aſtra feretis?
At non aſpiciet Samſon. Solamen habebit
In tantis crudele malis, quod fœda latebunt
Facta ſuos oculos. Aliquid Fortuna nocendo
Profuit, ereptuſque dies iuuat. O bene caſſa
Lumina! & optandæ noctes placidæque tenebræ!
Omnipotens genitor, mundum qui fulmine terres,
Calcatoſque premens niſu grauiore ſuperbos
Inſultas, humilemq. leuas; quacumque tueris
Parte Poli Samſona tuum, miſerere: nefandis
Criminibus parce, admiſi quæ cæcus amator, (ram.
Nunc ſine luce videns; merui hanc, nec deprecor, ho-
Tange lyram fidicen, Samſon nil iuſſa moratur.
Dixerat. Inde ſequi cytharam, fidiumq. tenorem
Incipit erranti greſſu; & quæ dextera quondam
Fortia facta dedit, per ludum effingere docto
(Sic voluit Fortuna) pede. Et primò, veluti alto
Fulmineum cernat deſcendere monte Leonem,
Subſtitit, expediens pro telis brachia pugnæ.

En ruit, & præceps ſimulatum incurrit in hoſtem,
Inque feræ fauces violentus, hiantiaque ora
Mittit vtramque manum, & connifus corpore toto,
Diductos lacerat rictus, ſpargitque Leonem
Exanimum, & multa porrectum extendit arena.
Tum ſuper incumbens, ſpatioſi corporis hoſtem
Miratur, partem camporum mole tenentem
Terribiles vngues, obſcuræ lumina frontis,
Horridiora nece, & vultus poſt fata minaces.
Calcibus eiectum recto deforme cadauer
Tramite, vicinam in foueam tunc abijcit, illic,
Virgulata, & viridi tumulant caligine vepres.
Inde breuem rurſus ſaltum circum egit in orbem,
Et redit, vt rigidæ viſat veſtigia pugnæ;
Artifices iam mellis apes, cęleſtia dona
Nectaris, in laceri fabricarant ore Leonis.
Ille capit pugnæ pretium, labriſq. miniſtrans,
Expertus ſentit, quam ſit victoria dulcis.
Poſt hæc mentitos ſeſe componit in aſtus
Multa mouens, verſatque dolos in mente ſagaci.
Innumeras vulpes cogens, per vincula binas
Innectit caudis, mediaſque faces ligat, omnes
Deinde fugat manibus comploſis, hoſtis in arua
Peſte graues tacita, atque incendia nata ſerentes
Per mediam Cererem, & maturos meſſibus agros.
Ipſe fugam cæcam trepidantum, & ſæpe cadentum,
Ah nimis ex vero cæcus imitatur, & ipſe
Ceſpitat interdum, quatefactaque pondere tellus
Lapſantis caſum Samſonis ferre laborat.
Sublimi tandem flammas deſpectat ouantes

Cla-

Cladē Philiſtæa, & ſpes anni funere in vno
Ardentes, lætuſque inimica incendia ridet.
Ecce autem hoſtili Gazæ deprenſus in Vrbe
Omnia clauſa videt, rigidi compagibus æris,
Vallatas portas, & ſeptos milite muros.
Ergo animus nutat, medios an tendat in hoſtes,
Et ſibi crudeli moriturus cæde parentet:
An ſaltum capiat præceps de mœnibus altis?
Conſilium capit inuictis à viribus, & quod
Præter Samſonem nemo audeat: ipſe citato
Securus graditur portarum ad limina paſſu.
Deinde manu valida, oppoſitas ceu turbine valuas
Murali aggreditur; cum cardine, vulſa recumbunt
Clauſtra, rigeſcenteſq. feræ; ſtridore laceſſunt
Sydera, diſiectæque trabes, fractæque catenæ.
Ille Vrbis ſpolium, portarum immane trophæum,
Imponit latis humeris; tum lumina voluens
Torua, triumphator diſcedit, ſcilicet hoſtem
Attonitum irridens, vibrataſque eminus haſtas
Deſpicit, hoſtili clypeatus terga ruina.
Tange puer chordas plectro grauiore ſeueras,
Horriſonoſque refer lituos, & claſſica, Samſon
Sic ait; & ſæuo componit membra labori.
At puer aggreditur pugnæ ſimulacra canoræ,
Sollicitans ad bella fides, effingit acutis
Quippe tubas, raucis imitatur tympana chordis,
Clamoreſque virum, hinnituſq. alternat equorum.
Interea Samſon, veluti robuſta catenis
Membra onerata gerat, collumq. manuſq. reuinctas,
Captiu[illegible] ſimilis graditur, deuota furori

O Præda

Præda Philiſtæo, exultantemq. aſpicit hoſtem.
Tum ſubito validos diffringens impete nexus,
Ceu ſolet ignis edax conſumere tenuia lina,
Victrices ad bella manus altè extulit, & quod
Fortuna obtulerat flagrum rapit; inde molarem
Maxillam referens, bacchatur, & ictibus auras
Verberat inſanis, in ventos vulnera torquet,
Nunc dextra, læuaque furens per caſtra, catervas
Dum ſequitur nullas, & morſu ſæuus inani,
Calcibus, & pugnis fictos interficit hoſtes.
Immeritas plagas gemit aer, icta reſultant
Atria, ſuccutitur tellus, cœlumque remugit.
Heroi igneſcunt falſo in certamine vultus,
It labor in riuos, fumant in naribus iræ,
Robur & in ficto flagrat inſuperabile bello,
Quid faceret, vero ſi prælia marte cieret?
Expauere ſenes, vulguſq. imbelle tumultus
Bacchantis dextræ, tempeſtatemque cadentem,
Et latebras nati in gremio petiere parentum:
Vſque adeo ludens Samſon, cœcuſque timetur.
Hac Fortuna tenus potuit luſiſſe videri,
Haud infenſa nimis victo, victoribus æqua;
Et Samſon toleranda tulit; cum Dæmonis aſtu,
An ſua cuique malus Dæmon fit ſæpè cupido?
Inſtincti Iuuenes, Heroa laceſſere probris
Indignis auſi; quæ iuſti cauſa furoris
Samſoni, ingenti confudit & omnia clade.
Nam dum maxilla ſimulata perfurit heros,
Turbauit multos belli crudelis imago,
Præcipuè Oſbellum, Gazæo ſanguine clarum,
Atque

Atque opibus; pugni quem crudi verbere Samſon
Perculit, at geminos fratres maxilla peremit.
Ergo memor luctus, iuuenum ſic aſperat iras.
Cernitis ò Ciues æquo hæc ſpectacula vultu?
Eſt ludus Samſon, an nos magis improbus iſte
Ludos ſcurra facit? Quanta eſt fiducia victo?
Vt furit? vt renouat noſtras in imagine clades?
Quid victor faceret, quando victoribus vnus
Et captus, cæcuſque inſultat, funera Gazæ
Obijciens, laudeſque ſuas? heu monſtra! pudoris
O magis expertem frontem, quàm lumina lucis!
Ceſſamus viles animæ? tot proba feremus,
Nec ruimus? læſas nec fratrum vlciſcimur vmbras,
Dedecus & patriæ, ludoſque reponimus hoſti?
Talia voce ciens, ſordes, ac fœda popoſcit
Miſſilia, & primus cæcum iaculatur in hoſtem.
Vndiq. ſe ſe addunt comites, plauſuque ſequuntur:
Pars glebas iacit, & cænum, ſignumq. pudendis
Ictibus effoſſos oculorum deſtinat orbes:
Pars faciem illuſtrem ſputis, frontemque verendam
Commaculant, alij (tanta eſt fiducia) barbam
Diuellunt, latera hi pugnis, hi tempora pulſant.
Nec requies datur vlla, modò hùc, modò pellitur illùc,
Agmine inundanti preſſus miſerabilis Heros.
Ac velut aeriæ ludus fit noctua gentis:
Quam medio ſi forte die aſpexere volucres,
Radentem liquidum peregrinis aera pennis,
Continuò inuadunt, roſtroq., aliſq. fatigant:
Illa pauet, nam lux hebetat clariſſima viſus,
Nec quò ſe eripat, nec quà contendat in hoſtem.

Repperit. Interea repetitis morſibus icta
Dat gemitum, vulſæ labuntur ab ęthere plumæ.
Heu quantum infelix Samſon diſtabat ab illo!
Ante Philiſtæ dederat qui ſtragis aceruos,
Meſſibus & campos ſpoliauerat, oppida portis,
Et ſæuis nemora alta leonibus. En puerorum
Ludibrium rapitur, veſani fabula Vulgi.
At ſilet, immotos & præbet ad omnia vultus.
Ceu muſſat timidus coram tondentibus agnus,
Nec iuſſo cultrum iugulo ſatiare recuſat.
Crimina forte memor recolit ſua: ſeu morituri
Vaticinæ occurrunt menti ſimulacra Tonantis.
Ne pia tantarum rerum turbetur imago,
Perſtat, & indignos hoc penſat honore labores,
An dum vindictam propiorem corde volutat,
Eruptura cinis fallax incendia nutrit?
Namque has manſueto tandem dat pectore voces.
Parcite, iam quæſo pueri, ſat luſimus ambo,
Quod ſi marmoreis adiungere membra columnis
Samſonem laſſum permittitis, edere ludos
Eſt animus, quales non vidit Gaza, nec vnquam
Viſet, & auditos omnis mirabitur ætas.
Vocibus ambiguis decepta eſt credula turba,
Ludorumque nimis cupiens, Heroa columnis
Admouet, & ludos, quorum pars magna futuri,
Accelerare iubet, ludos ignara parari
Supremos ſibi, ſed Samſoni nobile funus.
Ergo dum varijs fallunt ſermonibus horam,
Ille reclinatus molem tentabat vtramque
Explorans dubijs manibus, ſenſitque tenere
Binà

Bina Theatralis ſe ſuſtentacula tecti.
Tum liber, votique potens, ad ſydera frontem,
Frontem oculis vacuam, & palmas cum voce tetendit.
Summe pater Diuum, mentis cui noſtra repoſtæ
Cuncta patent, quæcunque paro, ſi authoribus aſtris
Hæc paro, da ſignum Pater, & me Numine firma.
Vix ea: cum ſubito tonat æther, & ſonat imo
Vox Acheronte; veni Samſon, tibi meta laborum
Summa, veni, plenam mortis iam deſpice vitam.
Ergo ſtatim furijs vicinæ mortis; & iram
Grandior aſſurgit, ſed ne crudele pateſcat
Conſilium, & quemquã rapiat fuga, murmure tántum
Reſpondet tacito: venio: ſed non ego ſolus,
Quippe trahã mecum, populoſq., vrbemq. nocentem,
Luſoreſq. meos, vna omnes clade ſepultos,
Ne vacet à Samſone metus poſt fata, ſequemur
Laxet auernales fauces ſaturanda vorago,
Et noua tortores ſtygij tormenta parate.
Primùm oculos fodite, his ludibria, flagra, catenaſq.
Et quæcumque tuli, ſuperaddite. Ne tamen vmbras
Vos ſperate meas, vicina è ſede piorum,
Audiam inextinctos, miſerorum carmina, queſtus,
Et fruar hoſtili gemitu, reddamque cachinnos,
Ludorumque vices. At tu mihi patria tellus
Cara vale, quæ longè hinc diſtas, nec moriturum
Iam Samſona tuum cernis, nec verba ſuprema
Accipis. Auditis vos, & miſereſcitis auræ.
Vos precor ò memores, patriæ referetis ad aures,
Quas voces moriens Samſon cum ſanguine fundit.
Patria cara vale: fauſtos tibi viximus annos,

Egimus & claros felici Marte triumphos.
Nunc tibi, ſæuus amor licet, & fortuna rebellent,
Felices etiam morimur. Deuota ſaluti eſt
Tanta ruina tuæ. Cum Samſone occidet vna
Omne Philiſtæum nomen; ſic libera viues
Clade mea: ò longùm felix, longùmque ſuperſtes!
Sis memor, & ſi quid ſupereſt, largire ſepulchro.
Extinctus Samſon, victore cadauere regnet,
Altera pars noſtri ſaltem poſt fata triumphet.
Hæc tacitus, geminas amplexus deinde columnas
Mole lacertorum valida, ſic voce minaci
Intonuit: pereant Samſone cadente Philiſtæi,
Hos ludos Samſon ludenti reddidit hoſti.
Talia vociferans, magna vi concutit alta
Fulcra columnarum, quo impulſu contremuerunt
Tecta, Philiſtæi clamorem ad ſydera tollunt.
At Samſon nitens de cardine fulcimenta
Marmorea euellit: ſoluuntur tecta, ruuntque
Præcipitata ſolo, pars in ceruicibus hærent
Herois, poteratq. domum fulcire labantem,
Qui impulerat, ſed ſponte cadens, frangenda ruinis
Membra dedit, voluitque mori, ne viueret hoſtis.
Tunc ſtrepitus tectorum ex omni parte ruentum,
Saxorumque fragor colliſorum, & morientum
Aſtra flagellarunt gemitus, paulò ante iocoſis
Aſtra ſonis, plauſuq. leui pulſata theatri.
Quis faciem horrendæ cladis, quis funera cantu
Æquiparare queat? populorum extincta iacebant
Millia, denſa locis, quibus hora nouiſſima fati
Vna, & funus idem, indiſtinctaq. mortis imago.
Omni-

Omnibus effracto capita exiliere cerebro,
Et vultus laceri, & turpatus vulnere ſanguis,
Et tumuli ante necem, & buſtum commune ruinæ.
Purpureus iacuit mixta cum plebe ſenatus,
Flos iuuenum, puerile decus, grandæua ſenectus.
Nec iuuit timor imbelles, audacia fortes,
Non fuga veloces, non infula ſacra miniſtros.
Quin capite auulſo ſimulacrum immane Dagonis,
(Nec ſors illa fuit, ſed vindex Numinis ira)
Ante pedes iacuit Samſonis; at ille repertus
Integer, ac toto ſpirante cadauere cædes.
Iſacidæ teſtes, qui cladis murmure longè
Audito, Gazam venere, nec hoſtibus auſis
Hiſcere (nam reliquos paucos pauor altus habebat)
Securi hoſtiles explorauere ruinas,
Et patrio inuentum Samſona tulere ſepulcro,
Inque triumphali ſcripſerunt carmina buſto.
Hic Samſon iacet: Hoſti Gaza euerſa ſepulcrum:
Crimen Amor, ludi pęna, & victoria clades:
Vrbe cadente ſuper ſtantem oppreſſere triumphi.
In Samſone latet Samſon, ſed fortior: ille
Morte ſua Iſacidas, hic totum vindicat Orbem.

FINIS.

MARTYRVM TRIVMPHVS.

PROLVSIO.

VEnturæ ætatis arcana prædicere, aut eſt hominum furentium, aut diuinorum. Sed præterita, tamquam euentura canere, eſt artificium familiare poetis, ingenioſa fallacia, legentium ſimplicitati imponentibus. *Nos vſi licentiæ modeſtiſſimæ iure, Martyrum laureas canimus, & triumphos, nocturna in imagine repræſentatos Racheli, dum filios in Bethlemitica ſtrage lugebat. Si neque numerum Heroum, neque ordinem in narratione ſeruabimus, poeticè facimus, & magna exempla ſecuti. A Iaponiæ Martyribus potiſſimùm ordimur, & abſoluimus carmen, recurrentem per hos dies anniuerſariam memoriam venerati.*

CARMEN.

IAponij heroes, fatales ſcandite palmas
Intrepidi, & crucibus pendentem carpite mortem:
A primis promiſſa manet vos laurea ſeclis.
Cum Bethlæa pio maduerunt arca cruore,
Et longum flenti natorum fata Racheli.
Dilecti manes, obſcuræ noctis in vmbris,
Funera Chriſtiadum, & ſacros cecinere triumphos.
Ite, & vos magni implentes oracula fati.
Interea truncos dum vos conſcenditis altos,
Ipſe vetuſta canam tanti ſimulacra triumphi,
Et relegam veſtras communi in imagine ſortes.
Poſtquam Bethlemios lactentum ſanguine campos
Regis inundauit furor, & pars altera ferro,
Altera certauit iugulis: properantior egit
Phœbus in occaſum currus, & luce ſepulta
Damnauit meritis terrarum facta tenebris.
Tum neque conſueto riſerunt læta decore
Sidera, lugubres indigna ad funera tœdas
Dum referunt; rores lacrymauit largiùs aer,
Omniaq. æthereo maduere cadauera luctu.
Sed non infelix extincto ſole, parentum
Pectoribus ſopitur amor, turbante tumultu
Curarum: amiſſæ dum prolis imagine viua
Nutritur deſiderium, nutritque dolorem.
Te premit ante alias quondam lætiſſima matres,
Nunc miſeranda Rachel, veteris de ſtirpe Rachelis
Nomen idem ſortita, nimis ſed diſpare fato:

Quæ geminos olim audebas tua lumina, natos
Sideribus Cęli componere: nunc tibi ſurgit
In media nox atra die: dum ſola vagaris
Aedibus in vacuis, notos ſua gaudia vultus
Dum vidui quærunt oculi, dum murmura fruſtra,
Et ſtrepitus captant auras, faſtidia grata
Ludentem, & caras mœrentum audire querelas.
Ac velut illa ſuos repetit dum ſedula partus,
Et mœſtos nidos ſine prole, reuiſit hirundo;
Quas non ægra auras circumuolitans lamentis
Implet? & irato faciens conuicia cantu,
Exprobrat hoſpitium laribus, violataque iura,
Exilioque domos, inſidaque culmina mutat.
Haud ſecus, ingratos genitrix deſerta penates
Deſerit, & natis ſine dulcibus, omnia plena
Odit imaginibus natorum: deinde relicto
Limine, Bethleos irrumpit turbida campos:
Ferales campos; vbi matres fraude tyranni
Deluſæ, promiſſa tulere ad munera natos;
Sed pro muneribus retulerunt funera matres.
Nocte ſub obſcura medias animoſa per vmbras
Incomitata Rachel graderis, ſi non comes vna
Infelix hæreret amor; materna viciſſim
Viſcera dum carpunt nati, trahit hic, trahit ille,
Et gemini vnam animam ſibi diuiſere dolores.
Illa vbi peruenit miſerandæ ad ſtragis aceruos,
Veſtigat charos materno lumine vultus
Incaſſum: prohibet notos cognoſcere, cœdes
Plurima, mutatique, & nocte, & morte colores.
Ergo congeſtis mœrentes oſſibus agros
Affatur

Affatur lacrymans: ò Bethlei æquora campi
Luminibus dilecta meis, dum vita manebat
Luce magis charæ ſoboli; &, ſi redditis illam,
Nunc quóq.dulce ſolum! at vos nati,animæq.recentes
Quæ fortaſſe vagis matrem nunc cingitis vmbris,
Dirigite incertos ad veſtra cadauera greſſus.
Funera digna paro; lacrymis luſtrare cruenta
Vulnera, & in charis animam hanc ſpirare labellis:
Coniuncti manes, ſociæq. vagabimur vmbræ.
Dum iactat tales ad ſurda cadauera voces,
Syluarum miſerata ſonis reſpondet imago,
Nocturnæq. vlulant pariter lamenta volucres.
Illa mouet dubios greſſus per ſqualida denſis
Cœdibus arua, timens ſparſum calcare cruorem,
Dum lac omne ſuum putat; à ceruice reuulſa
Si qua iacere videt buſta, exanimata reſiſtit:
Anne iſtic natorum aliquis? ſimul oſcula iungit
Materna ignotis truncis, indebita ſolui
Iuſta ſibi gaudent, & non ſua funera, manes.
Officio tandem materno nequa ſuorum
Pars vacet, infelix, campumque, amneſq. cruentos,
Et cumulos altos confuſæ mortis adorat.
Nox medium interea curſu traiecerant axem,
Et verſo Arctophilax lucem temone vocabat,
Nec finem inſano dederat maleſana labori.
Sed poſtquam videt inuiſa tellure negari
Pignora chara ſibi, è cœlo ſua pignora quęrit,
Suſtulit, & varia verſata cęde madentes.
Cum precibus palmas ad ſydera. Rector Olympi,
Quem de matre recens natum, noua lumina terris,
Cœle-

Cœleſteſq. chori monſtrant, miſerere peremptæ
Prolis, viuentis matris miſerere; parenti
Da, natos lugendo frui, natiſq. viciſſim
Indulge gemitus, vrnamq. parentis in vlnis.
Te precor à magnis infans metuende Tyrannis.
O vbicumque lates (neque enim in te barbarus enſis
Ius habet, aut violant mortalia vulnera Numen)
Redde ſuos matri natos: aliqua eſt quoque mater
Diue tibi: non vt reddas ſua tempora vitæ,
Exuuias vitæ & conſpectum funeris oro.
Quamquam, ò, ſi renouare mihi portenta liceret
Antiqui vatis, cum fletibus ille parentis,
Exanimi nato vitam per membra refudit
Pleno animę amplexu! nec longæ ſecla ſenectæ
Optarem miſeris, ſpirantes cernere tantùm,
Affatuque breui luctum ſatiare: rogarem.
Quæ cauſa excidij? properat ſi diua propago
Humanum reparare genus, cur cædibus alter
Diſſipat humanum genus? an cœleſtia pugnant
Fata ſibi? an cœlo tellus impunè rebellat?
Nam cur immeritos pœnæ ſecura fatigat,
Vindice te fruſtra, atque vltricia tela minante.
An ſuperis hæc facta placent? & noſtra iubetis
Non prohibendo dij mala? maternoſq. dolores
Luditis, & puro placet inſons victima cælo?
Talia dicta Rachel dederat, gemituſque dolentis
Audiri faciles ſuperis; infantis ad aures
Bethlemij venere: patris qui iuſſa ſequutus
Nil acas cum matre Ioſeph, Cæloq. ſequaci,
Calcabat, Mundo quem fecerat exul, arenas.

Audita

Audita eſt mater, votoque potita, repente
Attonitam luctu vario, ſopor occupat altus
Numinis illapſu, non qualem haurire ſolemus
Mortales, oculos hebetantem, aureſq ſoporem:
Purus erat, ſacer, & demiſſus ab æthere ſomnus,
Qui multum vigilantis habet, penetralia cœli
Nam reſerat vacuis animis, arcana futuri
Per quem proſpiciunt æui, alloquijſque fruuntur
Numinis, & ſummi choreis miſcentur Olympi.
  Cœleſtem ſomnum vigilans Rachel, ecce reſultans
Sub pedibuſq. ſolum tremere, & trepidare reuulſa
Cum dubijs nemora alta iugis, duplicare nitores
Sidera, & euictam radijs palleſcere noctem
Cernit, & infuſa lætarier omnia luce.
Intereà cœco miſceri murmure campus,
Audirique ſoni varij, vmbrarumq. gementum
Confuſi queſtus: ceſſant tua fulmina ceſſant
Summe pater diuum, nos turba iacemus inulta?
Illis nocturnas reſonant reſponſa per auras. (implent
Expectate: breuis properat mora, dum numerum
Fata ſuum, dabiturq. pio pro ſanguine ſanguis
Impius, intento vindicta laborat in arcu.
  Vix hæc audierat; radios ſimul æthere puro
Aſpicit errantes, & corpora bina coruſcis
Vndique lambentes flammis: vitalibus illa
Ignibus icta ſolo conſurgunt, deinde per vmbras
Illuſtres, chorea aſtrorum mirante, petebant
Te Rachel: & primo fallebat lumina matris
Pulchrior aſpectus natorum, & maior imago.
Vt vidit, nouitq. ſuos, penè obruit ægram

Lætitia,

Lætitia, & vitam natorum vita parenti
Abſtulit: ac niſi ſufficerent animum aſtra labanti,
Gaudia vix patitur, potuit quæ ferre dolores.
Tempore vbi longo, vocemq., animumq. recepit:
Vera ne cerno oculis (inquit) miracula? viuos
Natorum vultus? aut ſi mors occupat, vnde
Tale decus morti? referunt cur vulnera ſoles?
Illi hac turbatam ſolantur voce parentem.
Viuimus ò mater, properati munere lethi
Ambo felices; natorum tu quoque gaude
Fęlix ſorte, tuus regnabit in æthere ſanguis.
Ecce autem longo ſpectat Rachel ordine turbam
Iamq. propinquantem, & vexillum grande ſequentē.
Miratur ſubitò trepidans, natoſque requirit:
Quæ gens? vnde viri? quæ tanti cauſa tumultus?
Hæc illa, at contra maior ſic filius orſus.
Mira vides fati, genitrix, ſimulacra futuri,
Ne dubita, ipſe tibi pandit regnator Olympi.
Quos cernis circum populos, deuota Tonanti
Gens ruet, & noſtræ cadet æmula victima mortis.
Sed genitrix conſiſte, ſolumq. genu pete flexo,
Et iuuenem egregium forma venerare, rubenti
Qui princeps incedit equo: quantum inſtar in illo eſt!
Intuſuſque homini ſpirat Deus! hic vir, hic ille eſt,
Quem modò maternis Herodes pallet in vlnis;
Qui (nam vera canunt vates, nec numina fallunt)
Morte ſua infenſum terris placabit Olympum.
Cernis vt ipſe ſui fert ſecum inſignia fati
Exultans! ſonipes rubet, & phaleræ, & clamys ardet
Sanguinea, at pallet vicino funere vultus.

Quis

Quis ſtrepitus feruet comitum? duodena ſecuti
Turba fremunt denſi, variæq. inſignia cladis
Quiſq. ſuæ induitur; crucis hic immane trophęum,
Ille haſtas, alter gladios, fert iſte ſecurim,
Et collum Paulus reſperſus lacte recenti
Teſtatur candore fidem; Stephanum aſpice iuxtà
Qui gemmis lapides, & ſtellis vulnera confert;
O quam diſcordes animas, dum luce fruentur,
Idem amor, vna fides, & fata nouiſſima iungent,
Concordes dein ſorte pari mirabitur æther!
Occidui ſequitur Laurens ſpes altera mundi.
Aureus huic manibus fulget nunc, ferreus olim
Lectus, erit mortis feretrum, poſt funera rurſus,
Aureus euadet, victoremq. inferet aſtris.
At quis per medios, ſacros erumpit amores
Vociferans? bene noſco ſonos, Ignatius ille eſt,
Qui lentos queritur nimis in ſua fata leones:
Fortunate ſenex! votis potiere cruentis:
Ne dubita, dabitur dentes ſatiare ferarum,
Ipſe feris, & Numen tibi præda. Sed impetus omnes
Idem vrget; ſperare necem, nec fidere vitæ.
Ingeminate faces, vncoſque, rotaſque Tyranni,
Spicula, flagra, cruces, rabiemque augete minorem.
Aeratos tauros flammis incendite, ridet
Has Placidus flammas, & quos gemitus vlulantis
Dicitis, hic ſonus eſt læturi Pœana canentis.
En ruit in flammas Polycarpus ſpontè, ſagittis
Alatam mortem, pigram in ſua fata Sebaſtes
Increpat, & virgas probat: aſpernate ferarum
Obſequium Blaſi, ferrato pectine gaudes.

Pen-

Pendebit Catharina rotis; incendia ludet
Agnes, virginei niuibus defenſa pudoris.
Balnea Cęciliam non lædent, æſtuat intùs
Cor meliore rogo; ſic Numinis omnia vincet
Fortis amor, ceu mors, & merces grandis Olympus.
Innumeræ ſpecioſa ruunt in vulnera gentes,
Matres, atque viri, pueri, innuptæq. puellæ,
Inualidique ſenes; pictis exercitus armis
Qui lucet, Thebæa phalanx erit; Vrſula turmas
Virgineas, noua bella docet cæleſtis Amazon:
Fœminea exultant victricibus agmina palmis.
Quantus erit tunc mortis honos! dum ſanguinis ibunt
Flumina, cum Diuum tumulis ornabitur orbis:
Noſtra videbuntur ludi tunc funera, mater.
Talia dum loquitur, cernunt à cardine mundi
Cum palmis ingens properare recentibus agmen.
Quis chorus ille, inquit, nati, cur ſe vltimus infert?
Natorumque minor contra. Saluete manipli
Heroum, extremis non vltima gloria ſeclis!
Seu quos purpureis trabeis circumdat Iapon
Flammarum, atque idem qui corpora funerat ignis,
Monſtrat iter cœleſte animis; his Spinula ductor.
Seu quos extrema in Salſetide, barbarus vrget
Enſis, & has felix etiam parit India gemmas,
Purpureoq. micas ardens Aquauiua cruore.
Fortunati omnes! Nam per vos Itala ſurget
Gloria, poſt cineres, ſeris venientibus annis,
Audebitq. nouis veteres æquare triumphos,
Et canet Auſonias Eoo in littore palmas.
Quis globus ille virum, fluctuq. algaq. decenter
Sordi-

Sordidus? an ſacram rapis Azebede cateruam
In fluctus? ſed fata negant debere procellis
Naufragium, dabit ipſe cruor, maria alta ſepulchrum:
I pretioſa ratis, quę merces inuehis aſtris,
Nunquàm tam felix errauit in æquore puppis.
Huc genitrix conuerte oculos hanc aſpice gentem
Inſignem crucibus, quibus aures enſe reciſas
Sidera ſupplerunt, vulnuſq. informe decorem
Attulit; hos de Iaponiæ feralibus olim
Collibus, in cœlum propior qua ſe via pandit,
Excipiet ſuperum concentibus axis ouantes.
Audis, vt feſto ſonat omnis murmure campus?
Magnanimi Heroes! non vos, aut ferre pudebit
Vincula, nec vectos pro Chriſto in curribus altis,
Opprobrijs, riſuque pares agitare triumphos.
Quàm certi vobis animi! quàm prodiga vitæ
Pectora! quam pugnax alienæ cura ſalutis!
Vt tonat eloquio, & cęleſtibus omnia miſcet
Ignibus, ille gerens Pauli cum fulmine nomen!
Macte potens lingua iuuenis, cape fræna theatri,
Crux tibi pro roſtris eſto, facundia primas
Inſtituat partes, orabit cętera ſanguis.
Ite, & tergeminis Auroram ornate trophæis.
Tempus erit cum veſtra ſimul cum ſole vehetur
Gloria in occiduos tractus, magnoque ſuperbam
Intrabit decorum circumfuſo agmine Romam.
Illa ſacros diuum vobis decernet honores.
Et quos nunquam armis eſt auſa laceſſere virtus
Romula, adorabit votis, & ſupplice cultu.
Tunc priſcæ memores pietatis, rite vocantum

Exaudite preces, hyemes afflate ſerenas
Et placidos annos, extinguite ſemina morbi,
Si quà mala erumpent, ceſſent bella impia, tantùm
Pro Chriſto ſit dulce mori, lenite furores
Et veſtræ merito cædis, depellite cædes.
Hæc ille Eois ducibus, rurſuſque parenti.
 Ergo immaturos obitus, & fata tuorum,
Fata bonis mala dum viuunt, ſorteſq. cruentas
Deſine mirari genitrix, iubet hæc ſuperum Rex,
Scilicet & puro placet inſons victima Cœlo
Cæleſte imperium fundabit ſanguine Numen
Si quas naſcuntur, retinentur regna per artes;
Funeribus natum regnum, per funera creſcet,
Sanguis alet palmas, & ementur clade triumphi.

FINIS.

A R-

ARMORVM LVDI AD CVNAS VIRGINIS.

PROLVSIO.

INſtitutus à veteribus, à recentibus vſurpatus ille mos fuit, natales Principum dies, armorum tractatione ludrica celebrandi, vt ab imagine lata præliorum, mixtus delectatione terror redundans ad venerationem proficeret recens genitæ Maieſtatis, per arma imperium propagaturæ. Itaque cum hodierna die progrediatur in lucem cæli, terrarumque Regina terribilis, velut acies ordinata caſtrorum, heroum robora, è cælo, è terris, ex inferis properarunt, vt ſimulacris bellicis incunabula Principis bellatricis exornarent. Noſtris porrò ſodalibus conceſſum eſt in honorem natæ Dominæ, ſi minùs fortia facere, ſal-

tem prædicare, plauſum dare pro ſanguine, fidibus reſonare pro tubis, & concinendis aliorum triumphis, voces commodare triumphales. Agite igitur, quoniam haſtiludij hiſtoriam varia narratione contexendam ſuſcepimus, noſtræ erunt partes certaminum præludia prouocationes bellatorum recitare: Gratiæ nimirum, Naturæ, ac Dæmonis, quorum congreſſum, & certamina poeta deſcribet.

Poſtquam fama tota perſonans vniuerſitate, ad Virginis incunabula ludos indixit; continuò Gratia cæleſtis heroina, ſe ludorum caput, & aſſertricem certaminum profeſſa eſt, hac prouocatione vbique vulgata.

Gratia, Cæleſtis Amazon, cognata Deo ſtirpis, triumuiratus nobiliſſimi memoriæ, intelligentiæ ac voluntatis arbitra; omnipotens, ſed ſuauis Regina cordium, vbique regnans per beneficia, Bellatoribus terrarum Orbis, & inferorum, belli, aut pacis, vitæ, aut mortis, offert optionem. Fama ſonitu excitata properaui de montibus ſanctis, de cubilibus leonum, atque pardorum, vbi dracones elidere, tigres frangere, ſunt noſtri luſus, & rudimenta bellorum. Venimus, vt regiæ Infanti gloriæ tributa, aut heroici ſanguinis ſolueremus. Quamuis enim, nuper in lucem venerit, vetus tamen cum hac Virgine nobis neceſſitudo intercedit. Nondum aquarum fontes eruperant, cum illa meis muneribus inundabatur. Nondum cardines orbis terræ poſuerat Deus, cum illam

ego in domicilium Regis ſæculorum, ante ſæcula deſignabam. Ergo, ſi ſapitis mecum ſuauiſſima alumna mea honores augete, & profitentes matrem futuram Numinis, ac Virginem adorate. Si renuitis tantæ gloriæ ſponte adſpirare, ſanguine ſubſcribetis inuiti. Quin aliam grauiorem morte pœnam denuncio, Virginem, & Gratiam iratas. Ad Virginales cunas vos præſtolabor armata. Hæc Gratia. Cuius prouocatione perlecta, Natura in hæc verba reſcripſit.

Natura Numinis filia, rerum parens, impar patri, cæteris maior, ſine qua nihil mouetur, viuit, aut ſpirat, inter bella viceſque rerum caducarum, inuicta, incluctabilis, æterna, Cæleſti Amazoni Gratiæ. Puella recens in Iudæa nata, non ſolùm amores tuos ſibi vindicat, ſed pari iure promerita eſt meos. Cum enim illius ego venas puriſſimi ſanguinis fonte irrigauerim, & virginalibus genis meo lacte conſperſis, oculis fulgorem Solis afflauerim, non poſſum non amare opus meum, idque pulcherrimum. Sed nimium tribuere ijs, quos diligimus, eſt inſanientis ex amore. Satis fuerat, prædicare hanc Virginem ſpecioſiſſimam meo munere, ſanctiſſimam futuram tuo, niſi adderes incognita illa Naturæ nomina Matris, & Virginis, & Deiparæ. Nunquam ego vlli mortalium tam intemperanter indulſi, neque è re noſtra eſt, vt puella vna per dignationem tantam, naturam omnem dignitate tranſcendat. Equidem quantum ſuperi ſupra Na-

 turam

turam poſſitis, ignoro; illud ſcio, ſapientis eſſe, non omnia velle, quæ poſſis. Non eſt æquum aliena rapere, vt dones: tu puellam, vt iſtam exornes, Naturam ſuo iure diſpolias? Quid tantum tibi vindicas in regno meo? aut ſiquid iuris habes, cur Gratia tam ingrata moliris? plura quidem monſtra, me conniuente, in lucem prodierunt, omnem fidem, omnem Naturæ patientiam ſuperat, cum virginitate fœcunditas. Si virgo eſt, ne pariat, ſi mater, virgo iam fuerit. Hoc tenore quatuor annorum millia, rerum ſeries, naturæ regnum decucurrit. Quod ſi turbare incipitis cœlites, obteſtor Deum, vt iura ſeruem à vobis tradita, induam arma, quæ dediſtis. Veniemus, ne dubita, ad Virginales cunas, ſed non & veniſſe voles; nam cum gigantea audacia fatum ſortita, documentum dabis, eos, qui naturæ rebellant, ſepulturam ambitione nobilitare. Hæc natura.

Sed Prouocatorius Gratiæ libellus etiam inferos penetrauit. Vbi conuocato ſenatu tartareo non eſt dubitatum, quin eſſet gratiæ aſſertionibus contradicendum, atque ad pugnam tanti momenti, Rex ipſe Lucifer Dæmonum pugnaciſſimus deſtinaretur. Illud venit in conſultationem, vtrùm palam, & cum pompa; an diſſimulata maieſtate, ac nomine, præſtaret accedere. Cauſa perplexitatis, ſuſpectus pugnæ campus, Palæſtina regna, fœderata cœlitibus, quorum agmina, in honorem Reginæ ſuæ, interfutura

ſpe-

ſpectaculo credebantur. Placuit ſecunda ſententia, eòque magis, quòd aduerſariam in certamine faciliùs perculſum iri, ſperabant. cum ſub hominis imagine, vires adeò ſupra hominem experiretur. Publicatus igitur eſt libellus ignoto authore, prouocationi Gratia græco ſermone reſpondens; quaſi è Græcia palmis ludorum inclyta heroum aliquis aduentaret. Verba libelli in latium ſermonem tranſlata, hos ſenſus reddidere.

Bellator incognitus cæleſti Amazoni Gratiæ. Nolim exiſtimes, propterea quod nomen diſſimulo, me mei nominis, aut generis pœnitere. Pluſquam regale genus eſt mihi, & antiqua nobilitas; neque fortaſſis ero, vti Arcades, mendax, ſi meam ante lunam originem gloriabor. Quid attinet fortunas noſtras, quas occultas eſſe volumus, adumbrare? Vnum proloquar (nam infixus pectori cogit dolor) Reges ſumus; digni quidem beatioribus regnis, quam quibus præſumus, imperare. Et imperauimus aliquando. Sed maiori cum Principe exorto bello, ab ipſiſmet fratribus, proditi, pulſi, & exuti paterno imperio ſumus. Aeterna nihilominus (animos agnoſce) repetimus bella, cumque acerbiſſimi hoſtis ſanguinem exorbere non liceat, quod proximum eſt, fœderatarum illi gentium ſtragibus, ſolatium quærimus. At de his ſatis. Nazarenam puellam, eiuſq. ſtirpem omnem ad vnum odimus, ne quære cauſam. Illud ſcito: nos eius honori, palmam, &

in occulto, ſemper obtrectaturos. Nego igitur, ex hac fœmina quamuis Regij ſanguinis, Deum naſciturum. Si non erit indignum illa maieſtate, in aliquam gentem, ſuam nobilitatem inſerere, ea mea eſt, vt ſola talem dignationem mereatur. Id viuus aſſerere manu, id extinctus cadauere perſeuerabo. Si tamen, tu ea es, quæ mihi vitam eripere, aut is ego ſum, qui mori poſſum. Hæc ille. Deinde indictus eſt certamini dies Dominicus poſt Natalem Virginis primus, in campo Nazareno ad ipſa Diua incunabula: ſpectatoribus futuris cæli ciuibus, & limbi patribus, cum ipſo ſupremo Numine, de more, in nube ac nebula, maieſtatem prodente, atque occulante.

CARMEN.

VT ſignum ludis dedit aurea buccina famæ,
Impleuitq. erebum, terraſq; & ſydera cantu:
Protinus heroas tellus bello apparat, armant
Martes aſtra pios, & ſæuos tartara Martes.
Gratia ludorum princeps, pars magna duelli,
Vecta miniſterijs zephyrorum in nube curuli
Labitur ad cunas; vbi ſciſſa argentea nubes
In medio cœleſtem exponit amazona campo.
Reſtitit in claro bellatrix lumine Virgo
Purpureo ſublimis equo, quem à cæde futura
Numinis, aſperſit pretioſi vena cruoris
Parua, ſed in paruis ingens eſt gratia membris,
Quippe ſuo melius lucent in fonte lepores.
Sic dum res oculis aperit, radijſque colorat,
Per quam pulchra nitent, lux pulchrior ipſa renidet.
Illam & bella decent. Quæ martis purpurat igne,
Formoſas facit ira genas; expirat amores
Terror, & in rigidis apparet blandior armis:
Quid faceret, miti ſi riſus ore cieret?
Stant circum raræ comites: nam gloria rara eſt;
Tres Charites, non quas induxit Græcia terris,
Sed quas in cælo tulit ipſum Numen, & vno
Eductas lacte, vnanimes dedit eſſe ſorores.
Fert clypeum ex adamante fides. Quo tegmine poſſit
Ignea tartarei depellere, tela gigantis
Spes haſtam præbet: non huic ſe turbinis æquet
Impetus, aut vis fulminea; hæc perrumpit Olympum,

Et

Et rapit audaci violentior æthera niſu.
Aſt inter geminas auguſtior vna ſorores,
Nocturnos inter ceu lucifer emicat ignes,
Fert galeam, æthereæ fabricatam incudibus Ætnæ;
Quam patrijs cœli in fornacibus, aſtra liquantes
Matris ad imperium, ſuperi ſudaſtis amores.
Hoc cultu, his ſocijs, expleuit vbi ora tuentum
Gratia per girum; diuam venerata Puellam,
Subſtitit ad cunas, vnà cum Virgine Virgo,
Opperiens tempus pugnæ. Sed rauca repente
Dum tuba terrificis clangoribus aſtra laceſſit,
Ingens procedit medium bellator in æquor.
Quantus mole gigas! inter caput aſtra videtur
Inſerere, occaſum manibus contingere, & ortum,
Preſſa graui trepidat membrorum pondere tellus.
Alati circum iuuenes glomerantur euntem
Cęſarie horrentes hirta, bucciſque tumentes
Inflatis, ventos agnoſcas, fallor, an hæc eſt
Magna parens rerum Natura? horæq., dieſque
Stant circum, nimphæque, & pleno copia cornu.
Inſculptis lorica rigens argentea mammis
Pectus obit rerum altricis; queis ſcilicet omnis
Sugit ab vberibus vitalia pabula mundus.
In clypei ære rudis tellus, formoſus in auro
Cum nitidis ſtellis æther, ſpumantia cano
Æquora in argento, Naturæ regna refulgent.
Inſidet in galea Phœnix poſt fata renaſcens:
Quippe docet vitæ, vel in ipſa morte latere
Semina, Naturamq. ſua de clade nouari.
At poſtquam caueæ luſtrauit grande theatrum
Ardua

Ardua ſublimi Natura ſedens elephanto;
Protinus inſertat clypeo læuam, & caput ærea
Includens galea, celſa grauat abiete dextram,
Arripiens ſpatium campi. Nec Gratia contra
Segnior ingreditur, martemque armata fatigat.
Siſtite iam litui, belli pars magna peracta eſt.
Fulmineæ trabis incurſu, cœleſtis Amazon
Hoſtem deturbauit humo. Concuſſa laborat
Terra tremens, tantamque negat perferre ruinam,
Quæ ſonitu exterret cælum. Iam iamque cadente
Natura, caderet mundus; ni Gratia lapſum
Subleuet, his dictis rerum ſolata parentem.
Maxima bellatrix, ſed fato ingreſſa ſiniſtro;
Cede, mihi ſi non vis cedere, cede Tonanti.
Scilicet ille, dedit primum qui viuere rebus,
Naturæq. modum, non idem ſoluere leges
Quas tulerat, queat? & cum virgine iungere matrem?
Quid lex Naturæ, niſi Numinis vna voluntas?
An tantos ægrè titulos concedis alumnæ?
Si ſanguis tuus eſt, nate auget gloria matrem.
Dixerat, at dextram tendens ſic illa profatur
Gratia viciſti: fateor Natura minorem,
Maternumque decus cum virginitate Puellam
Iuncturam admirans, (ſic dij voluiſtis) adoro.
Hæc ait. Noſte vno domito non deficit alter;
En nouus ingreditur vacuam bellator arenam,
Poſtremuſque infert ſe campo incognitus heros:
Qui galea caput occultans, ſimul ora recuſat
Exerere, & quod ſit nomen, patriamque fateri.
Barbarico tamen à luxu, qui diuite cultu

Gem-

Gemmarum exundans, aurique, per atra renidet
Arma, per & veſtes; à regifico comitatu;
Faſtumque elatum ſpirante, ac nobile quiddam
Indole, regum aliqua apparet de ſtirpe ſuperbus.
Inſigne in galea fulget mirabile monſtrum,
Virginis ora, manuſq. gerens, at cætera ſerpens.
Læua pomum offert, habitumq. loquentis, imago
Exprimit. Hunc liceat ſi coniectare, doloſum
Hunc puto ſerpentem, qui primos nempe parentes,
Vocis, & aſpectus falſa ſub imagine luſit.
Tempore iam ex illo noſtræ hæc inſignia cladis
Heu miſeranda! ſui geſtat monumenta triumphi.
Cernitur in clypeo depictum emblema, flagranti
Vrbs immerſa rogo, cui lugubre carmen adhæret;
Vna ſalus victis, nullam ſperare ſalutem.
Quā decet hoc miſerum carmen miſerabile, nam quid
Quid ſperare poteſt, qui deſperauit Olympum?
Conuenit; & flammis quæ tota adſpergitur aureis
Nigra chlamys, cultus triſtes, habituſq. ſuperbi.
Cernite, quo faſtu, Diæ cunabula Pupæ
Præterit, ah nihil inflexa ceruice, rebellis!
At probri impatiens, iras cæleſtis Amazon
Suſcitat, & dictis tumidum caſtigat amaris.
Iure premis nomen, bellator ſordide; fœdam
Nigra veſte tegens animam. Quæ barbara morem.
Dat Patria? obſequium Reginæ detrahis? an ſi
Nil regale ſapis; te credam è regibus ortum?
Imbellem ſexum, quiſquis bellator honorat,
Te regnatricem obſequio fraudare Puellam?
Hiſtis, ab hoſte etiam, per barbara verba, ſalutem
Accipit,

Accipit, & ſalue medijs interuenit armis.
O ſoboles cyclopum, interque educta latrones
I miſer, Heroum fuge cœtum; incognitus æuum
Quò ducas te dignum, in luſtris conde ferarum.
Hæc illa: at contra ille ferus. Tibi plurima Virgo
Dicta volant, dum bella manus, & pectora poſcunt
Quid tibi, ſi ſtirpem inuiſam haud dignamur honore?
Officiumne doces hoſtem? morùmne magiſtra, an
Bellatrix? nam pro telis quot iurgia torques?
Qualemcumque geris perſonam, hæc accipe: non te,
Non illam veneror, non ipſum numen Olympi.
Thura mihi peto: ſunt qui & noſtrum numen adorent,
Quem tu latronem damnas ad luſtra ferarum.
Talibus auditis, generoſæ Virginis vrit
Corda dolor, flammatq. genas, raptim ergo citatò
Quadrupede, exclamat. Capitis proh dira nefandi
Impietas! os in cælum? te hæc dextra refellet;
Barbare, crudelis, dire, execrabilis, excors.
Et ſimul his dictis, erecta prouolat haſtâ.
Nec minùs ille furit, longaq. trabe aera rumpens,
Fertur in occurſum; ſed inarticulata remugit
Verba ſono, denteſq. quatit ſtridore minaci,
Scintillas iaciunt oculorum è caſſide flammæ,
Hac ſpecie, his furijs incenſi in bella feruntur.
Edite plectra ſonos, cantuque æquate furores.
Siſtite iam ſocij, confecta eſt alea martis.
Poſt tres congreſſus, colliſaque quadrupedantum,
Pectora, & haſtarum impacta haſtis fragmina, tandem
Palpitat ater humi bellator; Gratia ſtricto
Enſe ſuper, clamat; mihi cede, aut cede Tonanti,
Quiſ-

Quiſquis es, ò fortis; Diuamque verere Puellam,
Communem æterno ſobolem cum Patre daturam.
At quaſſans caput ille: Deo nec ceſſimus (inquit)
Nec tibi cedemus. Noſtro haud dignamur honore
Hanc, quamcunq. ſuo paritura eſt viſcere prolem:
Equè luto nunquam credemus numina fingi.
Talia vociferans, in bella reſurgere tentat,
Virgineæ plantæ, telo inſidiatus acuto.
Senſit vt illa dolos; vmbonis, quadrupediſque
Impulit incurſu aſſurgentem, & multa minantem,
Euertitque ſolo, iugulo iam inſtabat Amazon,
Poſcebatq. animam ferro: quando ille ſuperbus
Se victum agnouit, nec ſpes ſuper vlla triumphi eſt,
Tellurem pugno ferit, hæc (mirabile viſu)
Ingenti ſubitò patefacta dehiſcit hiatu,
Cornipedemq. equitemq. nigrum ſub tartara voluit,
Fumantes micuere faces, atque halitus orco
Teter, & auditi gemitus, tractæque catenæ,
Vmbrarum Regem manifeſtum palluit Orbis.
Tunc tandem patuit cur nomen triſte ſileret;
Quid nigri vellent cultus, voceſque ſuperbæ.
Qui Lunam ante ſatum clara ſe ſtirpe ferebat,
Audebatque pares cultus ambire Tonanti,
Nunc luit æterno geminas ſtridore ruinas.
Sola ſed in campo victrix exultat Amazon,
Quæ cuneos equitans circum, violiſque roſiſque
Irrorata, legit plauſus, pretiumque triumphi.
Dein Pupæ venit ad cunas, has vndique partis
Condecorat pugnæ ſpolijs, & carmine ſignat:
Gratia de domita Natura, & Dite trophæum.

F I N I S.

AVGVSTINVS
IN PVGNA INTERIORE VICTOR.

Digitized by Google

CARMEN.

TOlle animos, vetereſq; nouis poſtpone triũphis.
Neſcio quid claro tibi naſcitur Africa maius
Annibale, inuictus dum ſeſe, humanaque cuncta
Proterit, auguſtos rapit Auguſtinus honores.
Plus eſt, plus animo, quàm mundo imponere leges.
Fortior & quicunque ſuos corde opprimit hoſtes,
Quàm qui tormentis quaſſat muralibus vrbes.
Hunc hominum plauſus, perituraq; ſæcula laudent,
Illi aperit Deus, & Cælum immortale theatrum,
Nec defecturo aſtrorum diademate cingunt.
Sed dum ſecreti reuocabo exordia belli,
Tu melior Phœbo eloquij diuine magiſter,
Qui nunc cæleſti palmarum in ſede triumphas,
Auguſtine tuis da promere digna trophæis.
Ille decus Lybies, ardentis gloria Mundi,
Ingeniorum excelſus apex, viuumque Licæum
Palladis, & medio Sol ſole nitentior Orbi,
Proh dolor! hæreſeos tenebris, caligine ſenſus
Inuoluente animum, vitiorum præda ſuorum,
Mancipium Ditis, geminata in nocte iacebat.
O quanti fax ingenij! luſtrare capacis
Naturæ fibras omnes, & viſcera rerum,
Et quodcunque latet, vigili comprendere mente.
Quidquid Socraticis ſapientia vidit in vmbris,
Naturæque oculus, doctique Platonis acumen,
Quidquid Democritus riſu, quod fletibus alter,
Et quæ Pythagoras potuit docuiſſe ſilendo:

Q Nil

Nil Auguſtino ſapientius, aut prior ætas
Protulit, aut ventura feret, tot pectus onuſtum
Diuitijs Sophiæ, tot donis lingua Mineruæ.
Talis erat tandem, qualem poſt ſæcula longa
Phœnicem miratur Arabs. Sed cuncta tenere
Quid prodeſt? naturæ arcana, & ſydera cæli?
Si Cœli neſcitur iter, calcatur Auerni.
Interea genitrix errantem tramite cœco
Lugebat natum Monice, reiecta ſed aure
Surda, aurita ſuo faciebat ſydera queſtu.
O ſemper vitiorum hærentia ſemina magnis
Ingenijs! vbi proueniunt dulciſſima mella,
Sic ibi lethiferas fert Attica gleba cicutas,
Et nox atra diem comitatur. Quid iuuat Orbi
Hunc doctrinarum Solem peperiſſe, minatur
Si phaetontæas Orbi Sol iſte ruinas
Erranti portans doctrinæ lampada curſu?
Quod ſi fata, inquit, ſobolem tam læua manebant,
Cur genui infelix? vtinam infœcunda fuiſſem,
Aut quæ prima dies nato, foret vltima matri!
Quid me diuinæ legis præcepta ſequentem
Spes lactat Cæli? an poſſunt ſine te aſtra videri
Pulchra mihi? in Cælo plus, crede, dolebo beata,
Gaudia ſupplicium ſine nato, lacryma dulcis,
Lux nigra Solis erit. Precor ò miſereſcite Diui,
Et tu materni Virgo haud ignara caloris!
Faucibus, aut natum æternæ ſubducite mortis,
Aut libro è vitæ nomen delete parentis.
Integra ſim tantùm culpæ, ſim criminis inſons.
Perpetuò ſtygias nato comitem ire ſub vmbras

Munus

Munus erit. Superi malè ſano ignoſcite voto,
Mater amo. Iuſto metam quis ponat amori?
Magnus amor furor eſt; non vlla fideliter ardet
Immemor ipſa ſui quæ non ſit mater amando.
Talis priuatus queſtus, lacrymæque parentis:
Publicus alter erat gemitus, lacrymæque preceſq.
Chriſtiadum: neq. enim leuia, aut ludicra petebant:
Ingens momentum mutandi ſæcula, & Orbem,
Auguſtinus erat. Superis cur tale rebellat
Ingenium? cur hæc virtus non viuit Olympo?
O quantas dabit hic, partem quamcunq; capeſſet;
Vel bona, vel clades! ſuperi ſuccurrite Cęlo;
Et noſtros ſanate metus. ſi militat aſtris
Dux tantus, vires Erebi ridemus, & aſtus
Ludimus; impuræ frangenda hoc fulmine colla
Hæreſeos, regnumque Erebi, cultuſque Deorum,
Et ſincera fides cunctis dominabitur aris.
Sic Michael; Cælum fulſit, contraque rebellis
Lucifer, aſtrorum populos tranſcripſit auerno.
Sed lacrymis iam parce parens: compeſcite queſtus
Chriſtiadæ, magni damnant vos ſydera voti:
Tantarum prolem lacrymarum iuſta perire
Aſtra negant: mites expugnat lacryma Diuos.
Prima Auguſtino vertendi ad ſeria mentem
Cauſa fuit, luſtratum oculis Carthaginis altæ
Excidium; tantæ populorum, Vrbiſque ruinæ,
Illum damnorum memorem fecere ſuorum.
Neſcius errabat quantis peteretur ab aſtris
Hoc vnum precibus caput, amplæ fortè per Vrbis
Relliquias, triſti confuſus imagine rerum;

Littus vbi vacuum tectis fragmenta tegebant
Vaſta ruinarum, atque exſtantia puluere in alto
Spirabant veterem morientia ſaxa decorem,
In campis, vbi Carthago magnæ æmula Romæ
Impleuit Cælum fama, terraſque triumphis.
Deſerit ſecreta loci, & veneranda iacentis
Maieſtas Vrbis mentem pupugere, trophæa
Annorum, & clades grauiores Marte Latino
Mirantis. dubitat ſparſum calcare cadauer
Vrbis, & Heroum cineres, maneſque ſuperbos:
Quamuis templa Deum videat facta antra ferarum,
Terret adhuc ſpirans auguſti nominis vmbra.
Triſtia tunc vario turbatus pectora ſenſu
Talia prorupit non vnum in verba dolorem.

Ergo etiam magnas Libitina interficit Vrbes?
Nec datur effugium lethi, tangentibus aſtra
Molibus? ad tantos falx improba ſufficit ictus?
Iam iam nil querimur, vitream diadematis aurei
Eſſe fidem, & moriente mori Carthagine gentes.
At vos relliquiæ fragiles, turreſque caducæ,
Exuuiæque leues, Carthaginis oſſa ſepultæ,
Sorte quidem miſera felices; quippè iacetis,
Sed non ſenſus ineſt vobis, non cura futuri.
Nos viuos angunt curæ, functoſque ſequuntur,
Viuendique aliam poſt fata nouiſſima ſortem
Sperare, an timuiſſe datur? ceu naufraga puppis,
Quam Notus, & Boreas aduerſo flamine tundunt,
Spemq; metumq; inter trepidat, propiorq; pauenti eſt
Conſcia materiæ fragilis: ſic pectore noſtro
Spem dubiam maior ſuperat timor; vndique tantæ

Pec-

Peccandi illecebræ, & conatus in ardua limo
Difficilis, tum prona ſuæ natura ruinæ.
Hinc & amara dies vitæ, nox mortis amara
Fit magis, ingratoque madeſcunt cuncta timore.
Hæc Auguſtinus ſecum; nec carpere ceſſat
Interior cordis monitor, ſiue arua relinquens
Punica, terrarum dominam contendit in Vrbem,
Seu Mediolanum eloquij torrentibus implens
Italicam Lybico ambroſiam cum nectare confert;
Secum vnà puppim ſcandit, dubiumque procellis
Aequor arat, curru pariter vectatur eodem,
Et cubat in lecto, nocteſque, dieſque remordens
Culparum ſpargit mala gaudia felle ſalubri.
Ille tamen præceps in crimina mille, dolorem
Oderat vſque ſuum, cauſamque doloris amabat.
Heu miſerum! in tanta tędet iam viuere lite.
Nam meliora videt prudens, laudatque, fugitque,
Deteriora placent, quia dulcia; nec tamen illa
Vſque placent, præſenſque metus, grauiorq; futurus
Sollicitant; ſic ipſa ſibi fit pœna voluptas.
Sed quid agat! vinclis captiuum ſæua libido
Surgere conantem, rursùm ad conſueta reuoluit.
Sic facit infelix, quod factum nollet, & odit,
Inuitus peccat, peragit dum crimen, abhorret.
Eſſe quid hoc dicas? quod mentis cætera cedunt
Imperijs, animoque animus parere recuſat?
Imperat hic membris, & ſtatim iuſſa faceſſunt,
Imperat ille ſibi, iuſſis impune reſiſtit.
An quia debiliter tantùm iubet ægra voluntas?
Spernere iuſſa docet, quiſquis ţimidè imperat. acer

Sic equus inualidum ſeſſorem agnoſcit, & armo
Excutit. Imperium ſi firmum certa voluntas
Concipiat, vix illa iubet, cum iuſſa peregit.
Exemplo Auguſtinus erit, qui mente vbi certa
Propoſitum graue concepit, vincla omnia rupit
Feruidus, indoluitque ſemel, ne ſæpe doleret.
Nobilis occiduas Antoni fortè per oras
Fama vagabatur virtutes, claraque facta,
Edomitumq; Erebum,& cæleſtem in morte triũphum
Centeno ore ſonans, geminoſque è Cæſaris aula
Exemplo proceres tanto; dare nomina ſacris
Compulerat ſyluis, licitari ſydera iactu
Terrarum, auguſtoſque caſa mutare penates.
Talibus auditis, Auguſtino ima perurit
Oſſa pudor, facibuſque arſerunt pectora ſanctæ
Inuidiæ, veterem ſic ergo affatur amicum,
Quem ſibi coniunctum ſtudijs iuuenilibus æui,
Ceu Niſum Eurialus, Piladem dilexit Oreſtes.
Quid facimus, mi dulcis Alipi? quis ſtupor vrget?
Indocti ſignant certos ad ſydera calles,
At nobis parient doctrinæ lumina noctem
Perpetuam, ferimuſque neci ceu victima pompam,
Hoc ſapere eſt animum tenebris inuoluere tantis?
Plura locuturum prohibet dolor, & grauis alto
Pectore męſtitiæ nimbus, quo turgida inundat
Lumina. ſe ſe oculis igitur ſubducit, & hortum
Ingreditur, vacuum quem poſſidet aura Fauoni,
Et taciturna fidem promittit ſylua querelis.
Illic arborea proiectus membra ſub vmbra
Liquitur in fontes lacrymarum, flebilis humor

Serpen-

Serpentem riuum ſubitis torrentibus auxit.
Tum verò noua lux mentem perfudit, vt altè
Fęda ſuo aſpiceret vitiorum hęrentia corde
Vlcera, manantem ſaniem, putrique veneno
Tabeſcentem animam culparum, excanduit ira,
Diſplicuitque ſibi, & gemitu ſic ora reſoluit.
Huc Auguſtinum vani traxiſtis amorès
Mentiti facie charitès, & corde Megeræ,
Blanda voluptatum mala deliciæque nocentes,
Et virus ſub melle latens, ſub flore colubri.
In veſtris virides nugis exegimus annos,
Et meminiſſe pudet, quæ tunc iactare iuuabat,
Nec ſatis hoc, etiam extremos auferre paratis?
Non ita: ſed nexus nequeo ſi ſoluere, rumpam.
Certum eſt ne peream, pereundi perdere cauſas,
Vulnera vulneribus curabo, & funere funus,
Sanguine libertas mihi conſtet, ſanguine palmæ:
Idem hoſtis vincendus ero, victorque, theatrum.
Cor pugnæ, & Cælo contenti teſte triumphi.
Talia dum ſecum generoſa mente volutat,
Tanquam delicijs domitis, ſenſuſque proterui
Calcata ditione ferox, en Dæmonis aſtu,
An ſua cuique malus Dęmon fit ſæpe libido?
Exoritur blandum Heroi, & miſerabile bellum.
Nam veteres culpæ illecebræ, vitęque prioris
Blandimenta mala, & ſimulachra gerentia vultus
Heu nimium notos! cunctorumq; agmen amorum
Occurſare animo, & placitis deludere mentis
Robur imaginibus, proprios ſimul addere Auernus
Ignibus his, ignes: breue cor fit ſcena malorum

Tantorum, & ſignum innumeris mens vna ſagittis.
Dalmata ſic etiam Solimææ cultor Heremi
Romanas inter iuuenili flore puellas
Stare videbatur, fonteſque haurire calores,
Nuda nudus humo quamuis ſibi pectora ſaxo
Tunderet annorum ſenio confecta rigenti.
Nec ſolùm es veteres viſus ſpectare furores
Auguſtine tibi flammæ incentiua recentis,
Sed gemitus etiam, voceſque audire loquentum.
Prima quidem tenero ſic inſonat ore voluptas.
Quid tandem malè ſane paras? contemnere ſenſu
Delicias, & non rediture gaudia vitæ?
Mollibus aſſuetus dudum, vitæque beatæ,
Tu procul his poteris lucem durare vel vnam?
Aut ſine me viuas, propter quam viuere dulce eſt?
Longè aliter canit ambitio. quod mente volutas
Auguſtine nefas? tacitis abſcondere ſyluis
Doctrinæ ſolem, & ſæclum damnare tenebris?
Paulùm deſidiæ diſtat non cognita virtus.
An cupis eloquio populum captare ferarum?
Sed ne Treijcij ſperes miracula plectri:
Nec nouus inuenias veteres Delphinas Arion:
Fabula ficta ſalus, veros dant monſtra dolores.
At gula, & ebrietas epulis conuiuia plena
Objiciunt, viuoque rubentia pocula Baccho,
Et circumfuſos grato ſermone ſodales
Talibus orantes. Genio Auguſtine litemus,
Dum licet, accelerat mors inuida, quando recentem
Non vltra mugilem, aut perdicem imponere menſis
Fas erit, & fertis roſeis redimire liæum.

Hæcci-

Hæccine tu potu mutabis ſimplicis vndæ,
O ſimplex! lauri baccis, & glandis amaræ,
Iam faſtidita miſeris paſtoribus eſca?
Crede mihi, ſtulta eſt ſapientia, linquere certa
Quæ teneas, vt ſpes longas incertus anheles:
Malo vnum præſens, quàm gaudia mille futura.
His Auguſtinum molimina magna mouentem
Vocibus, vrgebat vitiorum turba ſuorum
Attonitum, nam quo flectat, quo mente feratur,
Inter vtrumque graui curarum fluctuat æſtu.
Et timet, & ſperat pariter, gelat, æſtuat idem,
Nec Dominum patitur ceruice, nec excutit, alta
Aſtra ſuperuolitat, & puluere ſerpit in imo,
Nec ratio arbitrium, nec ſenſus vindicat omne,
Sed lacerant vnum vota in contraria pectus;
Teſtantur lacrymis ſuſpiria mixta dolorem.
Ac veluti viridi decerptum ex arbore truncum,
Impoſitumque focis, ardens vbi flamma momordit,
Dat gemitum, & lacrymas in cortice ſudat amaras;
Donec in occultas acies vulcania fibras
Permeet, & victas penitus conuertat in ignem,
Sic veræ in partu vitæ Auguſtine laboras
Internis data præda malis; conuexa tueri
Iam Cæli tædet, finemque miſerrimus oras,
Multiplicemque vno conſumere funere mortem.
Squallidus, & toto procumbens corpore terræ
Humanum ſentis pondus, dictiſque fateris.

Aſper eram, bellumque vltrò, cladeſq; minabar,
Quàm longè mihi robur abeſt, & gloria fortis,
Ni leuis hic ſupero firmetur robore puluis?

O ſi

O ſi me tali verſantem in turbine fortis
Aſpiceres mater! ſaltem ſermone leuares
Mœſtitiem, iunctis aut ſolarere querelis,
Et mihi placatum faceres, tibi numen amicum.
Nunc deſertus, inops ſurdis loquor omnia plantis,
Et leuis inſultat Zephyritidis aura dolenti.
Nec quemquam incuſo: tantos meruere dolores,
Et culpæ grauiora meæ. regnator Olympi
Hic precor, vre, ſeca æterno dum tempore parcas.
Vix ea: cum ſubitò reſonans vos perculit aures
Tolle lege, ad ſonitum ſuſtollit lumina, rurſùs,
Tolle, lege, atq; iterum repetito murmure clamat
Vox eadem, vocis nullus ſed cernitur author.
Imperium cæleſte ratus, qui fortè iacebat
Proximus, arripuit diuina oracula librum;
Illic tantorum patuit medicina malorum.
Non in perpetuis ēpulis, Bacchique furore,
Non inter thalamos, & ſancti damna pudoris,
Non inter rixas, vanæ & certamina linguæ?
Sed Chriſtum induite, & ſenſum calcate rebellem.
Protinus his lectis, menti iubar emicat ingens,
Quod nubes Erebi pellit, virtutis honeſtas
Irradiat victrix felici cuncta ſereno.
Intùs adoratam genuit victoria pacem,
Et ſoboles pacem ſua, gaudia mille ſequuntur.
Si doluit, ridet, fruitur poſt bella triumphis,
Et rebus mœſtis, maior menſura bonorum eſt.
Quas tunc ille tibi grates pater optime ſoluit,
Per ſua Diuinas exornans crimina laudes?
Sed veluti nox aſtra parit, ſic pulcra fatendo

Culpa

Culpa nitet, fingitque ſua caligine ſoles.
Si non peccaſſet, felix minus ille fuiſſet,
Nec tot lucerent gratis incendia cartis,
Vnde Auguſtini ſlammeſceret ignibus Orbis.
Sic nocumenta iuuant, & pars fit plaga ſalutis,
Sic lapſus cælo tollunt, firmantque ruinæ.
Vt verò ſlorum Sol, & ſlos Solis, amicam
Lampada, per proprios errores, lucis adorat:
Sic memorem dulci defixus numine mentem,
Te voce, & calamo, Te vita, & morte ſequetur,
O ſerò dilecte illi quia cognite ſerò
Si multùm læſit plus Auguſtinus amauit.

FINIS.

B. ALOY-

B. ALOYSIVS

A Dęmone transformaro in Angelum lucis fruſtra oppugnatus Societati IESV nomen donat.

CLaſſica concinuere: ſemel deuictus auernus
Bella nouat, Gonzaga tuos defende triumphos.
Nam non conſuetas meditantur bella per artes;
Impia furta parant, ſub amico nomine fraudes.
Æquore tempeſtas tegitur furioſa ſereno,
Et ſordes in ſole, puer ne crede colori.
Tartareæ flammæ ſe in cæli ſydera vertent.
At dum res dubiæ, dum ſub caligine verum,
Tu mentem ſequere, & ratio ſit Numinis inſtar.
Hiſpanus Mediolani moderator, equeſtres
Forte recenſebat turmas, numerumque ſuorum,
Et pulcher nitidis exercitus ibat in armis.
Frænatis in equi ardet generoſa iuuentus
Dulcibus armorum furijs, queis caſſida crines
Auricomos ærata tegit, ferroque rigeſcunt
Brachia, pectoraq. horrendum latus enſe coruſcat,
Dextra tubis tonitrus, & fulmina ahena minatur.
Turba frequens diſperſa vijs, aut pendula tectis,
Vndique flagranti ruit in ſpectacula viſu.

Vnus

Vnus Aloyſius, quamuis mandata parentis
Corpore detineant præſentem, animo exul aberrat,
Et clauſis oculis, ſpectacula quærit in aſtris.
Vidit & indoluit genius, quem iuſſerat orci
Regnator, ſtygia Gonzagam cingere fraude,
Et delere animo, vitæ cœleſtis amores.
Ergo furore amens liuentia labra momordit.
Siccine (ait) noſtras ludis puer improbus artes?
En periere mihi quot tentamenta malorum,
Diſpoſitiq. doli? in phaleris, pictiſq. lupatis,
Arma per & galeas plenas terroris ameni,
Et falſo criſtas tentantes aſtra volatu,
Ad patrij martis palmas, dum ſponte calentes
Inflammare paro cordis iuuenilis amores;
Omnia ſic vincit clauſo, qui lumine pugnat?
Altera ſed faxo cernes ſpectacula, quæ te
Aut victum dedant, aut ponam inglorius artem.
Dixit, & extremæ faſſus conamina fraudis,
Induit effigiem notam, ſplendentiaque ora
Fida tibi Gonzaga diù, cœleſtis ephebi,
Cuius Aloyſium curæ mandarat Olympi
Rector; in auratam capitis mutauerat angues
Cæſariem, furuas argento illuminat alas,
Angelus apparet lucis, niger accola noctis.
Nox animum tamen intus habet, falſum ora renident.
Quodq. magis miſerum eſt, imitatur gaudia triſtis,
Labra cient riſum, ſtrident in corde dolores.
Hac ſpecie ingreſſus veterator callidus ædes,
Gonzagæ tunc forte remota in parte precanti

Notam

Notum offert vultum, & voces mentitur amicas.
Chare puer, choreæ, quem dudũ adiungere noſtræ
O quantum cuperem, paribuſq. innectere fatis!
Macte animis generoſe, parem recludis Olympum,
Dum claudis terras oculis, mundumq. minorem.
En tibi cælicolum Rector ſpectacula pandit,
Gonzagaſq. tuos offert, populum aſpice denſum
Heroum, ſeu quos clarauit bellica virtus
Bellonæ titulis, ſeu queis coma fulgurat oſtro
Romuleo, geminis Gens ſufficit vna triumphis.
Sed ruit effuſum ſtudia in contraria cælum.
Nam bellatores certant, certantq. togati,
Te ordinibus ſociare ſuis; furit ambitus aſtris,
Vtra ſequi malis ſtudia, & quibus addere magnum
Nomen auis, oſtrone, an lauro obnubere frontem?
Omnipotens Rector tantam componere litem
Abnegat, & genti ſuperum pater æquus vtrique eſt.
Te penes arbitrium ſtatuit, ſic æthere lapſæ
Huc acies geminæ, peragent me interprete cauſam.
Elige quod ſequeris vitæ genus, armane, an aulæ
Præmia, caſta togæ placida, an ſtudia horrida Martis?
Talibus aligeri dictis, defixa tenebat
Obtutu ora puer, taciturnaque lumina voluit;
Nec tantùm effigies veterum veneratus auorum
Noſcit imaginibus depictis atria circum
Conſimiles, quantum voce, imperioq. mouetur
Mendacis genij ad decora inuitantis honorum.
Quippe animo dudum fixum, immotumq. ſedebat,
Spernere opes Regum, titulos calcare ſuperbos,
Se-

Sectari virtutis opes ſub paupere tecto.
Sic adeo inſiſtit, ſecumq. hæc pectore verſat.
Heu quia nam ruit inſolita in ſpectacula cœlum?
Spernere ſi aggredior terras authoribus aſtris,
Terrarum curas cur vltrò ſuggerit Æther?
Mutarine poteſt forte inuariabile numen?
Anne Deum mea vota latent, qui vota gubernat?
Heu quid agam?aduerſis ceu naufraga diſtrahor vadis
Pinus, dum ſpirant contraria flamina Cælo.
Martis ſigna ſequar? Chriſti ergo caſtra relinquam?
Chriſti miles ero? ergo tubæ lituique valete.
Aularum arridet nitor? omnibus ò mihi votis
Pauperies ambita vale! contemnimus aulas?
Deſpectis igitur concedet purpura pannis.
Anne lupis agnos iungens, ſectabor vtroſque?
Atque ambire idem potero, & contemnere faſtus?
Non mihi non tantum eſt circum præcordia robur;
Nec caput hoc patitur ſublimia: parcite quæſo
Parcite magnæ animæ, ſi veſtra exempla recuſo,
Hæc laudo, illa ſequor, Regemq. imitabor Olympi.
Rebus in ambiguis mentis dictata ſequemur,
Et ratio mihi numen erit. Vos æquet Olympo
Gloria, vos aquilæ Cæli, ſoliſq. capaces:
Nos humiles abiecta decent. Sic fatus, honeſto
Igne genas tinxit, lacrymæq. per ora volutæ.
At vinci impatiens nebulo laruatus auerni
Contraxit rugas ſimulatæ frontis, & auxit
Grande ſupercilium, ceu fingeret ora Catonis.
Quæ tibi verba cadunt (inquit) temeraria, pupe?

Sic

Sic ſuperum monitis ſimplex Gonzaga repugnas?
Hactenus innocuè peccas, ſi tendere pergas
(Auertat Deus omen) erit pro crimine grandi
Simplicitas edocta ſemel. Per me tibi cœlum
Fata aperit ſua, tu verba hìc ſapientia fundis?
At parere Deus iubet. Haud nobis datur ipſis
Altiùs æterni rimari arcana Tonantis.
Quod ſi conſilij cæleſtis noſcere cauſas
Eſt animus, ſanctis modo ſit reuerentia iuſſis,
Expediam. Sentis quanto circumfurat omnis
Armorum ſtrepitu tellus, dum Thracia luna
Orbe ſuo affectat terrarum amplectier orbem?
Pannoniam lacerat, Germano, Italoq. minatur.
I pius, i contra, bellabis bella Tonanti.
At ſi mitis amat prudentia Palladis artes,
Dum Vaticano ſanguis regalis in oſtro
Pulchrius ardebis, veluti fax lampade in aurea,
Quanta feres populis morum documenta togatis?
Cur gemmam ſepelis pretioſam? auriq. talenta
Defodis? & properas mortalibus abdere ſolem?
Elige quod ſequeris vitæ genus, arma ne an aulæ
Pręmia? caſtra togæ placida, an ſtudia horrida Martis?
Addubitas, hæres, lacrymaris? num fidei audes
Indubitare meæ? Vos patria ſydera teſtor,
Si fallo, æternum veſtris excludar ab oris;
Si fallo, ſtygiæ ſim perpetuò accola flammæ.
His puer attonitus monitis, falſiſque querelis
Nil contra verbis contendit, at anxius intus
Secreto petijt votorum fulmine cælum.

Cum vox à tergo inſonuit. Gonzaga reſiſte
Macte inuicte dolis, ac alumnum noctis adora.
Reſpicit hic iuuenem alatum, læuaq. gerentem
Ingentem clypeum tectum velamine; fidus
Ales erat Cœli, ſed conuenientia formæ
Mira in vtroque: pari ſcintillant fulgure luces,
Frontibus in geminis, maieſtas vna renidet.
Bina velut niuei collucent pocula lactis,
Aut geminæ quercus, plataniq. ſororia cęlo
Attollunt capita, & concordi vertice nutant.
Ergo iterum dubio quatiuntur pectora motu
Ambiguuſq. hæres Gonzaga: ſed ætheris Ales
Non patitur dubitare diu: qui voce ſeuera
Significanſque manu, ſtygio minitatur alumnò.
Mentiri me etiam, coram me, perfide pergis?
Furariq. meos vultus, cęleſtiaque ora? (bos!
Nec fugis hinc? O frontem, animoſq. in clade ſuper-
Quin vltro quaſſare caput, contraq. tueri
Toruum audes? Ego te. Sed præſtat ludere fraudes
Conſilijs. Huc huc oculos Gonzaga, videbis
Quid manes ſuperis, quid diſtent ſordibus aſtra.
Mox pauper poſt hac vexilla merebere miles.
Dixit, & amoto clypeum nudauit amictu.
Sidereis pictum gemmis apparet Ieſu
Nomen adoratum ſuperis, ereboq. tremendum.
Protinus, ac geminata dies fulgore recenti eſt,
In ventos ſimulacra abeunt, vmbræq. vagantes,
Vt ceræ ante faces, nebulæ vel ſolis ad ortum.
Tartareo at monſtro facies mentita receſſit
Et ſua nox rurſus vultum occupat: ora nigreſcunt

Naribus it fumus, redeunt in colla colubri
Cum ſonitu, dirùm frontis rubuere cometæ.
Deformem genij veraci in imagine formam
Horret Aloyſius, comitiq. amplexus inhæret
Sydereo; hic firmat trepidum, riſuq. ſerenat,
Et recreat ſparſos cęleſti nectare vultus.
Ille miſer faſſus ſe victum, ingenti vlulatu
In Phlegetonta: alter ſua ſydera victor adibat:
At cor Aloyſius cum nomine donat IESV.

FINIS.

Digitized by Google

B. ALOYSIVS

Flagris & ſanguine aditum impetrat in Societatem.

PERGE catenato proſcindere fortius artus
Verbere Aloyſi, venis effunde liquores
Virgineos, pulcro victoria ſanguine gaudet:
Optatæ poterunt lacte hoc adoleſcere palmæ.
Si patrij affectas adamantem frangere cordis,
In te flagra rota; fer grandia vulnera membris
Exiguis; tua erunt nam vulnera, pęna parentis,
Et dum te plectes, patris vlciſcere rigorem.
Sentiet ille ſuam nati per vulnera cædem,
Nec tolerare diu poterit duo funera in vno.
Quin vt ſeruet vtrumque, tibi ſuccurret, & vná
Sanabit patris, & nati medicina dolorem.
Improbe amor, quænam pandis miracula rerum?
Tu cogis patrem ne perdat perdere prolem,
Qui dum ſeruabat prolem, perdebat amando.
Bis duodena poli luſtrauerat aſtra quadrigis
Flammiferis Titan, ex quo Gonzaga parentem
Sollicitis vrget precibus, pro munere poſcens
Nudari patrijs gazis, ſanctaque potiri
Pauperie. Sed nil votis flagrantibus actum,
Incaſſum ſe ſe met in omnia vertit amoris
Blandimenta: nouis ergo noua bella magiſtris
Tentat Aloyſius, nebulis obducere vultum.

Mœſtitiæ, letos oculis auferre nitores,
Deſcriptas de patre gerens in fronte querelas.
Sed quis fraude ſenem genitorem vincere poſſit?
Nec facile eſt dare verba ſeni, nec fallere amantem.
Protinus agnouit pueriles callidus aſtus,
Et rerum experiens genitor; quin artibus artes
Ludere conſtituens, in corde recondit amorem.
Ipſe quoque, & faciem contriſtat nube ſeueram.
O amor, & quis te Protei variabilis artes
Edocuit? vultus te auctore auertit vterque,
Ardet vterque tamen, ſcenamq; implere laborat.
Scintillant in fronte minæ, ſæuique rubores
Irarum, quos ignis alit (quis credat) amoris.
Vt primum cecidiſſe videt ſine vulnere telum,
Aſperiora puer meditatur, aditque parentem
Amplexu non ante dato, nec fronte, beare
Qua ſolet, at mœſto deiectus lumina vultu.
Iam dudum eſt genitor, cum te precibus, lacrymiſq.
Tundo, ſed incaſſum, vt Cæli patiare vocantis
Iuſſa ſequi; teſtor ſuperos, quod verba, preceſq.
Non valuere piæ, nunc tandem ſanguine vincam.
Eſt animæ plenum mihi cor, eſt dextera fortis.
His dictis, capite inflexo veneratur, & aufert
Se ex oculis, linquens trepidantẽ, & verba trementem
Ambigua, inque ſuum conclaue irrupit & abdit.
Heu quam difficile eſt legem præſcribere amori
Perpetuam! Vſq. adeo ſcenam variatis amantes.
Iam piget incepti patrem, genioq. ſeuero
Pœnitet indulſiſſe, ſua iam deuouet artes,
Et lacrymis veris, fictas vlciſcitur iras.

Nam

Nam quid (ait) nati verba hæc abrupta minantur?
Certè aliquid crudele parat; mihi triſte per artus
Ducitur augurium, pauefactaq. pectora turbat.
Sanguine(ait)vincam?at cuius nam ſanguine vinces?
Anne meo? capere haud tantum puerilia credam
Corda nefas, auſiſq. feris pia vota repugnant.
Anne tuo? iratus Patri, in te fulmina vertes?
Inuiſumq. tuis multabis cladibus hoſtem?
Ah tibi ne tanti genitor ſim cauſa furoris!
Me miſerum! nunc nate viam qua vincere poſſis,
Ingrederis, nequeo his, nequeo me opponere telis.
Hæc vbi multa ſuo verſauit pectore, tandem
Imperat acciri matrem, paciſq. ſequeſtram
Deſtinat at fidum iubet explorare miniſtrum,
Quid natus tali meditetur cardine rerum.
Ille in ſecretæ poſitus penetralibus ædis
Nuda catenatis cædebat terga flagellis.
Iam decreſcebat crebro ſub vulnere corpus,
Cum famulus cautis, oculiſq. atque auribus hauſit
Flagrorum ſonitus, tempeſtatemque cruentam.
Nec mora: ſollicitus genitorem nuncius implet.
Infelix genitor, properè ad conclauia Nati
Suſpirans vehitur, ſequiturque exterrita coniux,
Per rimas introſpiciunt, ſpectacula ſæua,
Horrida, luminibus non adſpicienda parentum.
Languebat tunc forte puer, cum brachia vires
Deficerent, venaſque cruor; paulùmque remiſſis
Verberibus vocum feriebat fulmine cœlum,
Omnia quæ occulti poterant audire parentes.
Omnipotens mundi Genitor, quia ſanguine prolis

Sedaſti inſenſas miſeris mortalibus iras:
Sanguine da nati mihi cor mollire paternum.
Tu cui clauſtra patent animorum, adituſq. profundi.
Tu noſti, quanto noſtrum genitoris amore
Cor calet; ah ſibi ne tantum te, vel tua iuſſa
Poſthabuiſſe velit, ſum in flammas ire paratus,
In ferrum, mediaſque acies, me nulla laborum
Tardabit facies, vel turbida mortis imago:
Prima Tonantis amor mihi cura, ſecunda parentis.
Cur mea vota negat placidas admittere in aures
Si pater eſt? ò ſi excidium crudele videret,
Et lacerum nati corpus! miſereſcere forſan
Diſceret, & mallet viuentem amittere prolem,
Quam funus retinere ſuum. Miſereſcite Diui!
Sanguinis & noſtri partem genitoris ad ora
Ferte precor, ſilicem, cordiſque adamanta liquantes.
Dicite: chare pater, tua quondam maxima cura.
Dulcis Aloyſius, media inter limina lethi
Palpitat, inque ſuo moriturus ſanguine languet:
Si te non blandæ flexerunt murmura linguæ,
Si te non calidis placarunt flumina riuis,
Flectat io ſanguis! rigidos domat ille Tyrannos,
Sanguine placantur Cœleſtes, ſanguine Manes,
Frangit ſaxa cruor, genitor iam cede cruori.
Non cedis? præbes his vocibus, aſpidis aures?
En vrgebo gradus mortem celerare flagellis,
Paſcere cæde mea, ſatia cor ſanguine nati,
Quid nati dixi, immo tuo? tu quippe dediſti,
Et totum tibi reddo libens. Vix talia fatus
Dulcibus horribilis furijs, iam flagra reſumit,

Iam rotat acta manu, iam vulnera vulnère cædit.
Hìc miſeri vlteriùs ſeſe celare parentes
Non potuere; dolore amens, exclamat vterque
Ah ſiſte! impelluntque fores, & clauſtra refringunt.
 Tunc pater; haud vltra ſæui, do nate quod optas:
Ah non eſt tanti ne perdam, perdere natum!
Viciſti: tandem poſt prælia parce cruoris,
Tres animas, vno crudelis vulnere mactas?
 Ille ſtatim ſurgens, humeros & ſaucia flagris
Terga, damaſceno properè obuelabat amictu;
Occulere oppoſito conatus corpore cędem
Incaſſum; largo ſtagnat nam flumine ſanguis.
Quem dum mirantur trepidi, & calcare verentur,
Exanguis pater, & mater lugebat, at ipſe
Ora verecundo tranquillans pallida riſu,
Lætitiæ eſt propior, tantorum cauſa dolorum.
At miſeranda parens, vbi vocem animumq. recepit
Impleuit clamore domum: Haud te nate ego paui
Lacte meo, vt ſanguis fieret, quem fundere poſſes
Prodigus, inceſtans maternos funere vultus.
Heu ſtragē horrendā! viden omnia ſanguis inundat?
Flagra, pauimentum, veſtes, aulea, tepetes,
Nam laceros texit velamine callidus artus.
Hæc puer? an puerili in corpore facta gigantis?
Sic animæ pars magna meæ, & pretioſa iacetis
Puluerulenta in humo ſparſi ſine honore, meo olim
Pleni Aloyſio, triſtes, dulceſque liquores?
At tu viuis adhuc fili, maiore peremptus
Parte tui? viuis? quin &, ſub vulnere tantò
Crudelis, ridere vacat? Quo adamante gelauit

Digitized by Google

Cor tibi? nam finxi (ſcio mater) nate tenellum,
Vnde vnde in tantos potuit durare rigores?
Talibus orba parens rumpebat tecta querelis.
Aſt Aloyſius dextra, leuaque prehenſos
Ambos continuit, blandiſque auferre dolorem
Vocibus aggreditur. Dux inuictiſſime bello,
Et bellatoris coniux, tamtumne timere?
Sanguinis ad modici viſas horreſcere guttas?
Atqui haud degenerem ſobolem, laudare decebat.
Sic aquilæ explorant fœtus, ad fulgura ſolis.
Sed iam corde metus pro me deponite, voti
Compos Aloyſius, nihil vltra ſanguine vincet.
O mihi luce magis chari ſaluete parentes!
Quas vobis reddant grates pro munere tanto?
Ibo, ſed immemorem me nulla redarguet ætas,
Ibo, ſed veſtri mecum gradientur amores.
Nec mora longa: breui cælo ſociabimur, huius
Poſt momenta breuis mortis, quæ vita vocatur.
Cernitis, vt properat cita temporis orbita, mundo
Pręcipitante, diemq. dies, horam obterit hora?
Tu primus, tu chare pater mortalia ſolues
Vincla; pios tibi ſingultus in limine vitæ
De Cælo, & lacrymas tergentes crimina, iam nunc
Exoro, noſtrum tunc ipſe fatebere munus.
Teque ego pone ſequar, lenta ſed tabe pereſus
Dicar; erit ſerpens quæ flamma beantis amoris.
Te genetrix noſtrum poſt funera, vita manebit
Longa quidem, ſi quid longũ mortalibus vſquam eſt;
Hanc mihi debebis: morbo nam languida noſtras
Implorabis opes; adeçeo, pro veſte micanti

Sole

Sole ſuperfuſus, chlamidem pingentibus aſtris.
Qualia maternum tentabunt gaudia pectus?
Talis erit diæ dulcedinis imber inundans,
Poſſet vt æternùm producere tempora vitæ
Tempora ſi fragilis vitæ æternare liceret.
At mihi quos titulos ſuperi, quæ templa paratis,
Pro ſpretis patriæ gazis, & ſtemmate auorum?
Vnde mihi, vt ſaxis ſurgant gemmantibus aræ?
Pictaque Aloyſij ante aras ſcintillet imago?
Quam circum auratis pietas pretioſa tabellis
Veſtiat, incenſiſque flagrent altaria ceris?
Flore pauimentum albeſcens effundat odores
Ad cinerem, gremio quem argentea colligat vrna?
Vnde mihi, vt Vaticani capita alta ſenatus
Quos veneror viuens Auguſtis Regibus æquos,
Exuuias humiles noſtri, partemq. minorem,
Affuſi genibus, cinefactum & funus adorent?
Vt celebrent alij feſtiuo carmine laudes,
Atque alij reſonent concentu templa canoro?
Tanta ne tam paruę debentur præmia laudi?
Talibus attonitos dictis Gonzaga parentes
Caſus quemque ſuos, arcanaque fata docebat
Et tamquam ventura canens. Quæ facta videmus
Nos partim, partim facimus, facientque nepotes.

FINIS.

B. ALOYSIVS

In officijs Chriſtianæ charitatis extinguitur.

PAuperibus Gonzaga operam dum deuouet ægris,
Æger & ipſe cadit, palmaq. potitur amoris.
Parta ſine ingenti non eſt victoria bello
Ante ſubactus amor cunctis vitæ inditus, olim
Qui princeps oritur cum corde nouiſſimus idem
Emoritur, tumuloque ambo conduntur in vno.
Nec Deus, ipſe Deus, ſine pugna hũc opprimit hoſtem.
Luctandoque immane laborat; pallidus ora,
Corde gemens, lacrymans oculis, & mẽbra cruentus,
Luctari humanum eſt, diuinum hac vincere lucta,
Gonzagæ ſed opem luctanti fertis, & arma
Cælicolæ in ſpeculo, ſpeculum rationis imago eſt,
Quæ mentem æterno colluſtrat lumine veri.
Italiam, & Romam duplex vexabat Erynnis,
Sæua fames, & dira lues, vrbemq. premebant
Diuiſis ambæ excidijs, vnaq. ruina.
Vtraq. ſola capax Romanum extinguere nomen:
Quid faciant, coniuratis in funera telis?
Pauperiem inuaſere ſimul, rerum omnium egenam,
Atq. vnas animas per multiplicata malorum
Damna repoſcebant; ſi quos euadere morbi
Contingerat furias, languentia pectora carpens
Latratu, morſuq. fames agitabat inani.

Cognâ-

Cognati generi Gonzaga euictus amore
Ærumnis lacrymas dedit. Ergo peribitis (inquit)
O miſeri, nec vos humanæ fœdera ſortis,
Diuinæ aut fidei conſortia iura iuuabunt?
Vt iumenta ſuper nuda tellure iacetis,
Nec medicina malis ſupereſt, niſi mortis amaræ?
Sed licet ingratus vos deſerat Orbis, auarę
Viſcera dũ claudunt animę, haud Gonzaga relinquet.
Ibimus, & quantum vires, animiq. valebunt
Obſequium, vultuſq. bonos, curamq. fidelem
Deferimus, famulaſq. manus; ſolatia lethi
Si non auxilium, ſaltem præbere iuuabit.
Tales voluebat Gonzaga in pectore ſenſus.
Sed ſenſus alios meditanti ſuggerit, Orci
Seu genius fallax, ſeu cunctis inſitus, almæ
Lucis amor; neque enim conſtant præcordia ferro.
Quid Gonzaga ſpei incertus, certuſq. pericli,
Heu fruſtra generoſe paras? ægroſne leuabis,
An moriere ſimul? poteris fulcire ruinam
Sub qua Roma tremit? mortem frenare furentem
Tentabis, falcemq. nigræ extorquere tyrannæ?
Sed fac poſſe tuis reuocare cadauera vitæ
Officijs, tanti ne alienæ inſtare ſaluti,
Ipſe tuam prodas vt prodigus? aſpice ſaltem
Quos ſerues, & quem ſpernas; vt ſordida viuat
Fex hominum, cęnumq. & mendicabula vulgi
Tam clarum virtute heroa, & ſanguine perdis?
Talia fert ſenſus, meliora, ſed aſpera dictat
Hinc diuinus amor; Iuuenis cor inſtar arenæ eſt:
Numinis, & vitæ gemini luctantur amores,

Ludimur, exclamat, vario mens fluctuat æſtu?
Dum late ambiguat tectum in caligine verum.
O lux prima parens lucis, cui fulgura ſolis
Multum noctis habent, noſtri penetralia cordis,
Quæ luſtras, animumq. ſequi meliora parantem,
Noſcere da meliora, iubar veri exere menti.

Vix ea, cum ſubitò ſeiuncta è corpore mens eſt,
Membraq. dum torpent, ſine pondere libera ludit,
Ludit, & exultat diuerſa in imagine rerum.
Quippe videbatur ſpatioſam adductus in ædem,
Cernere diſpoſitos hinc, atq. hinc ordine lectos
Porticibus longis, plenos languentibus ægris.
Horrentes alios ſcabie, illuuieque pereſos,
Ora, manuſque; alios maculoſos vlcere crebro,
Extinctos alios, multos animam exhalantes,
Fętor vbiq. grauis, omnique in funere terror.
Huc illuc volucres ſtudio celerare miniſtros,
Quos toga rubra pedes tegit vſq., & purpura vilis.
Ex illis ibat iuuenis formoſus, & olim
Viſus Aloyſio, ſed tempora certa, locumque
Non meminit, fallit vulgari tectus amictu,
Nobilis, haud ſanè plebeiæ ſortis ephebus.
Hunc vt Aloyſius propiorem vidit, amicis
Vocibus alloquitur. Iuuenis macte indole tanta,
Laudo tuam, miſerorq. vicem, qui captus amore
Numinis, has ſordes, atq. eiectabula curas.

Ille autem ridens, ſimplex Aloyſie, quam te
Lumina decipiunt (inquit) ſordeſne videtur
Deliciæ ſuperum, atq. hominum? Me lumina fallunt?
(Subdit Aloyſius) non viua cadauera cerno,

Non hoc hoſpitium mortis, non funeris antrum?
Cui rurſus Iuuenis; Verbis contendere vanum eſt,
Res vbi vera ſtatim pandat; nunc aſpice (claram
Chriſtallum hìc oculis obiecit) nunc ait ipſe
Conſtitues, huius qualis ſit ſcena theatri.
Res vix credibilis! cernit migrare coruſcos,
In radios ſordes, in claras vlcera gemmas.
At plagas ſimiles ſtellis, & frontibus ipſis
Neſcio quid ſulgere ſuper, diadematis inſtar.
Tum Gonzaga: Equidẽ certe nunc lumina fallunt.
O ſpecioſa vitri mendacia! tale trigonum
Chriſtallum fertur pompam ſimulare colorum,
Cęruleum roſeo, atq. auro miſcere ſmaragdos.
Hìc Iuuenis: Nunc mente erras Gonzaga, ſed antè
Errabas oculis tantùm: audes dicere fallax
Hoc ſpeculum, primi confectum fulgure veri,
Corrigat vt prauos oculos? Sic cernis in vndis
Obliqui partem remi, tamen integer ille eſt,
Atque æger viſus vitro curatur ab arte.
Verùm hæc vt mirere minus, maiora docebo.
Ille (vides) iuuenis, lecto qui incumbit eburno,
Ore, habituq. hominem ſupra; Regnator olympi eſt
Ille; Columbinus triuio, quem forte repertum
Pauperis effigiem languentis, & ora gerentem,
Suſtulit amplexu, patriaſq. euexit in ædes.
Impoſitumq. thoris Regem, ſuperumq. hominumq.
Ter felix! elephantiaci ſub imagine curat.
Aſpicis obſequium, qua ſedulitate miniſtrat,
Aſpergitq. cubile roſis? nec, dum putat ægri
Vlcera contrectare, Deum ſe tangere ſentit,

Dul-

Dulcia ſydereis delibans oſcula membris.
At commota ſuum ſenſerunt viſcera Numen.
Iniuſſæ ſtillant lacrymæ, ſuſpiria fundit,
Vicinoq. calet nimiùm, quem neſcit, ab igne.
Parte alia vlceribus languet matrona beatis.
Vermibus oſtentat quæ putreſcentia denſis
Vbera; ſed vermes, niſi quòd reptare videntur,
Vix illos credas, niueos candore decentes
Margaritas dicas; pretium bene nouit auara
Fœmina, theſaurumq. ſuum donare recuſat.
Audin, vt increpitat Guzmanum vocibus ardens
Dominicum, qui vermiculum ſubduxerat vnum,
Gemmam redde meam? Sed forte domeſtica laudum
Pulchrius eſt exempla ſequi. Agmina cerne tuorum.
Xauerium ante alios, ſaniem qui ex vlcere fędo
Manantem, vuis non dubitat præferre Falernis,
Sorbilibuſque liquefactis in pocula gemmis,
Quas Romano Aſiæ Domino, Cleopatra propinat,
Non tam auide niuium glaciatas frigore lymphas,
Quas florum condiuit odor, dulcedine tinctus
Saccharea, ſitiente bibunt æſtate Quirites:
Quam cupido ſaniem ſorbet Xauerius ore.
Aſpicis, vt cari pereat ne ſtilla liquoris,
Relliquias tergit digito, ſugitque labellis?
Nec minor, & ſocios imitandi prouocat ardor,
Clade licet varia. Nam plures noxia tabes,
Corripit, atq. ægros affligit, opemq. ferentes.
Macte Aloyſi animis, aliena exempla tueris,
Sed mox ipſe dabis, nec te inferiora ſequentur.
Nunc, olim, quocumq. ferent ſe tempore clades,

Numi-

Numinis ibit Amor contra per funera. Morbi,
Non deerit gladius, deerit ſi palma cruoris.
Exoriere aliquis, Gonzagæ ſanguine claro
Non impar, geminoque flagrans ardore, ſed annis P. Vinc Carafa Pr.Gen.
Maior, & imperio. Placida cum in pace liceret
Non ignobilibus curis traducere ſoles:
Haud dubiæ mortis diſcrimen adire iuuabit,
Abiectiſq. ægris, pretioſam impendere vitam.
Tanti eſt humani generis ſeruire ſaluti.
Quòd ſi pectoribus Decios in fata ruentes
Pro patria, pleno circumſonat ore vetuſtas:
Non hunc fama canet, non templa, aræq. loquentur?
Sæculaq. Heroem ſi tantum ingrata ſilebunt,
Æterno plauſu, non aſſultabit Olympus?
Deſine Iulæum mirari gloria ſydus.
Hoc ſydus felix Orbi; ſed gentibus ille
Funera portendens fax, ſanguineuſq. cometes,
Et latro Regnorum Cæſar. Qui dona vocabat
Immeritis cum rapta daret, ſtrageſq. trophæa,
Cædibus humanis nunquam exſaturata Carybdis.
Sanguine Romano terras impleuit, & vndas,
Cæſareo tandem ſparſurus ſanguine Romam.
At non ille ſui gaudet nunc nominis aura,
Inter vtrumq. chaos magnum; tormenta perurunt,
Non tangunt laudes, ſi fama illabitur orco,
Non ſinit audiri ſtridor, tractæq. catenæ.
Talia Aloyſio Iuuenis miranda canebat,
Et ſenſim cæleſte vitrum, ſub fine loquendi
Oppoſitum ſibi conuertit, quo diſcere poſſet
Veridico à ſpeculo veram Gonzaga figuram,

Quan-

Digitized by Google

Quantaq. maieſtas humili ſub veſte lateret.
Continuò Gonzagæ animum percuſſit imago
Nota, vbi conſueti vultus rediere; flagrantem
Agnoſcit Iuuenem, atq. oculos cuſtodis, & ora
Syderei, pictaſq. alas, aurumque comarum.
Ergo ſtatim in genua hic, ille euaneſcit in auras.
At Gonzaga memor, caris ſe deuouet ægris,
Promiſſamq. ambit votis, & funere palmam.

FINIS.

B. ALOYSIVS

A prophana militia in ſacram traducitur.

QVid tibi cum ſæuis puer ò mitiſſime bellis?
Cur teneras grauat haſta manus? lorica lacertos
Vrit, & implacido cinctum latus enſe minatur?
Totus in arma ruis ſaturanda cruoribus arma.
Fronte quidem ſpiras oculiſq. audacule cædes.
Neſcio ſed quid dulce oculi, cum fronte renident,
Quid facerent blanda ſi riſum pace cierent?
Sed mihi crede puer, non hæc tibi tela gerenda
Deſtinat Omnipotens, nec bellatoribus iſtis
Orbis eget, feruent nimium quantum omnia Marte,
Mantoum & Regum tellus ſat plena triumphis.
Bella aliter tractanda tibi, tu ſcilicet vnus
Hoſtis eris domitorq. tui, pugnator, & idem
Vincenti pugnæ campus, ſpiranſq. trophæum,
Spectator mundus, pretium polus, aſtra corona.
Fortis Aloyſij Genitor, Dux inclitus armis,
Cui ferro nomen, pectus triplici ære rigebat
Belligeræ cinctum virtutis, fortè ſuorum
Luſtrabat numerum, & florentes ære manipli
Ordinibus ducti varijs, atq. agmine longo,
Sole laceſſitis vibrabant fulgura telis,
Implebantq; oculos dulci terrore tuentum.
Vndiq. conueniunt auidæ in ſpectacula turbæ,

Martis inexpertas veri, belliq. laborum,
Spectare inſontis pugnæ ſimulacra iuuabat.
Spectacli ſed pars melior, potiorq. voluptas
Vnus Aloyſius; qui tunc puer, ante parentem
Grandæuum, nitidis ibat pulchellus in armis,
Et breuibus libratum humeris haſtile gerebat,
Ad pugnatorum moderans veſtigia greſſus,
Torua fronte minax. tenero ſed in ore decebat
Ille rigor frontis; tela horrida pulchrior inter
In bello vultus medio ſpirabat amores.
Nempe videbatur Macedo, comes ire Philippo
Paruulus, aut cum Peliaco ſene pupus Achilles.
Quis populi tunc plauſus erat, quam leta fauentis
Murmura militiæ? puer hic (modo creſcat) auitas
In palmas ſuccedet ouans, nec regna paterna
Hunc ſat Alexandrum capient, ſigna indolis altæ,
Agnoſco, tot Gonzagas in corde latentes,
Vnguibus à primis animoſum diſce leonem.
Audijt hæc pueri cuſtos, & riſit ab aſtris
Diuus amor, num bella mihi, tela iſta minantur?
Gonzagamq. meis tentant abducere ſignis?
Sed faxo Martis ſint irrita vota profani.
Et quando arridet belli furor, & ſitis ardet
Sanguinis, ad noua bella tibi, noua tela parabo.
Vix ea: Gonzagæ clara ſe in luce videndum
Cum dedit, & præfixa gerens flagra cuſpide ahena
Pro telis, & pro thorace, rigentia ſetis
Tegmina, pro clypeo velamina ſancta pudoris:
Alme puer (dixit) quem vix in luminis auras
Eductum, ſacris properaui tingere lymphis,
Vt

Vt ſuperi tua corda incenderet ignis amoris
Illis natus aquis, generoſos indue ſenſus,
Maturos æuo in viridi, mentemq. virilem.
Inſtant magna tibi certamina, prima voluptas
Bella parat, teneroſq. dolo circumuenit annos
Multiplici, dulci conſpergens tela veneno.
Inuictos, quæ ſæpe viros bellis, ſua mittens
Sub iuga, delitijs cupidos ſuffocat amantes.
Qualis odoratas vbi germinat India ſiluas,
Incautus tulerit ſi greſſum forte viator,
Inſidias meditata diu, ſe ex arbore ſerpens
Implicuit collo, & confeſſa amplexibus hoſtem,
Strangulat; haud aliter necat inter dona voluptas.
Ah quoties acies, inuictaq. pectora ferro
Succubuere voluptati? Qui vicerat alpes
Annibal, & Romam, Campanæ imbelle trophæum
Deſidiæ, Cannas, inter conuiuia ſenſit,
Fœmineæq. comæ fragili deuinctus ab auro eſt.
Pellæum quid vana canit mihi Græcia Martem?
Ille quidem Iuuenis multa domat arte ferocem
Quadrupedem, & pictos vincendo currit ad Indos.
Quid tamen iſta iuuant? ſi palmis auctus, & annis
Senſibus ereptas animi permiſit habenas,
Nunc ira, & Baccho, nunc blanda victus amoris
Sæuitie, atq. hauſtu nimio temulentus honorum.
Sorte tua felix, ò Perſarum vltime Regum!
Quippe ſub hoſtem cadens maiori, Auctore Darius
Damna leuas, cladeſq. ſuos habet illa triumphos.
Succubuiſſe pudet Baccho, inter fercula, Mundi
Victorem, hinc propinati malè nata veneni eſt

Fabula, ſed fuit ebrietas, fuit ipſa venenum.
Hæc nullos peſtis faſces reueretur & arma:
Nec mollis duro bene frangitur ære voluptas,
Non niſi ſydereis hoc monſtrum vincitur armis.
Macte puer Cœli donis, ante omnia falſas
Blanditias, luſuſq. caue, tum quidquid amicum eſt,
Crede ſubeſſe dolos, & cæcis plena periclis,
Omnia tuta time. pro muro audacia bellis
Eſt alijs, iſthæc vincuntur bella timendo.
Ac velut ille altæ qui mœnia protegit Vrbis,
Obſeruans omnes aditus communit, & omnem
Obſtruit arte locum, nequa manus improba furtim
Irrepens, ferroq. ferat flammaq. ruinam.
Haud ſecus ipſe tuos cautis moderabere ſenſus
Excubijs; oculos ante omnia, namq. voluptas
Decipit his, animiſq. vehit per lumina clades.
Heu quoties gemuere graui ſub cuſpide corda?
Lumina aperta viam cæcis fecere ſagittis.
Prata angues non tot numerant, tot ſalſa procellas,
Quot nigrum virus, claro de fonte bibentes
Per ſoles periere ſuos. His ſcilicet aſtris
Exoritur malè ſanus amor, multumq. cometæ
Lugubris inſtar habent oculi, cademq. minantur
Accenſo in ſua damna rogo. Temeraria vatum
Lingua, cupidineas ſtellis adſcribere flammas
Ceſſet, & impuros tam puris ignibus ignes,
In crimenque vocare polum, ſi quando nocentes
Lumina traxerunt malè cuſtodita calores.
Teſtis ego, nullos Cęlo deſcendere amores
Me præter, cognatum aſtris, & ad aſtra ferentem,

Nullo

Nullo ortum, nullo periturum temporis æuo.
Sed veſter terris genitus, moriturus in iiſdem,
Sordidus ignis, habet cunabula, habetq. ſepulcrum.
Vt fugias flammas tam impuras, accipe caſta
Amulcta puer: frontis velamen honeſtæ,
Quale ſuæ quondam donauit habere maritus
Caldæus Saræ, ſed Caldæo ante marito
Ipſe Polo tuleram, vt laſciui regna Canopi
Et Peluſiacas tutò ingrederentur arenas.
Velamen, quod non humana texuit vlla
Arte manus; ſed pro aurato ſubtegmine ſtellas
Inſertans radijs, operoſa Modeſtia finxit,
Hiſtoriæ ducens & nobilis argumentum
In telas, exempla tui ſpecioſa pudoris
Dædalea inſigniuit acu, præſaga futuri
Docta magiſterio ſuperùm celeſtis Arachne.
Hæc age virgineæ circumda ſplendida fronti
Munera, ſic melius vigilabis lumine clauſo,
Et cæcis oculis cæcum vitabis amorem.
Cingula pręterea rigidis horrentia villis,
Atq. catenatos nexus cape, ſydere aheno
Ornatos funes, his fortiter vtere donis,
Tartareus ſemet cædendo vincitur hoſtis:
Fitq. voluptates contra, cor ſanguine fuſo
Durius, & ſanant hæc vulnera, vulnera mentis.
Dixerat ille: ſimul crudelia munera linquens
Ocior in Cœlum properat, puer æſtuat, & quo
Longiùs ignis abit, violentiùs vrit amantem.
Horrentes calybes tactuq. flagella cruento
Explorat, gaudetq. ſuos tractare dolores

Ore renidenti, & mordere vbi ſenſit aheno
Dente flagella ſatis, caris dedit oſcula pœnis.
Quin etiam mira cælatas arte figuras
Dum videt in velo, ſeſeq. agnoſcit in illis
Vitantem choreas, declinantemq. theatri
Spectacla, & Reginæ oculis matriſq. negantem
Aſpectum, erubuit; pueriq. eſt tanta modeſti
Simplicitas, fictos non audet cernere vultus,
Quos veros fugiturus erat; ſed lumina claudens
Protinus opponit caſtæ velamina fronti,
Munimenta ſui pariterq. trophæa pudoris.

FINIS.

B. ALOYSIVS

Mercedem amoris ſui per cæleſte ſpectaculum delibat.

GOnzagæ cineres tepidi, exuuiæq. calentes,
Quas animus diuo ſuccenſus amore fouebat;
Si qua ſuperſtes adhuc gelida fax viuit in vrna.
Exiguam veſtri partem ſpirate caloris.
Vna rogi tanti faciet ſcintilla beatos,
Hunc amor vt iuuenem terris, Cęloq. beauit.
Ex quo nam ſuperis pudibundæ lilia mentis,
Ætatis flores, & ver iuuenile dicarat;
Mutua creuit amor per munera tempore longo,
Virgineæq. aluere niues incendia cordis,
Amphora vt ardentem nutrit cryſtallina ſolem.
Ergo licet metam nunquam dum viuimus, ignis
Hic teneat, ſemperq. vltra Plus dicat, amanti.
Immensùm tamen auctus erat; macieſq. genarum,
Et graciles artus, & languida lumina frontis
Atq. hoc perpetuo palleſcens vultus ab auro
Signa dabant intùs populantis viſcera flammæ;
Ardebat Gonzaga, æſtuq. beante peribat.
Non hæc damna tulit teneri moderator alumni.
Extingui iuuenum florem, florente iuuenta,
Et Cæli curam, Cæli tabeſcere donis.

Ceu ſoli carum germen ſuus ignis adurit.
Ergo iubet dulci ſubducere pabula morbo,
Furariq. pium diuino pectus amori.
Eſt conditura hìc, inquit, Gonzaga laborum,
Non merces, dum viuis amor, ne tempus amando
Proijce, quod pręſtas conſumere tempus agendo.
Si bene numen amas, pro numine deſere numen.
Adde, quòd hæc vitæ flamma eſt inimica calori.
Dulce malum, placidum vulnus, gratumq. venenum.
Omnis amor magnus, furor eſt, ſapienter amare
Vix Deus ipſe poteſt. Iuuenem ſic ille monebat,
Nec ſurda monitus Aloyſius aure bibebat.
Sed grauior medicina malo eſt; plus namq. fatigat
Per vim pulſus amor, regnataq. corda repoſcit.
Heu quid agat! nam difficile eſt abrumpere curſus
Aſſuetæ flammæ, notoſq. inhibere calores;
Non parere nefas: at cura grauiſſima tangit
Obſequij, ſed qua id præſtat ratione laborat;
Dum mentem, ſenſus, amor omnia poſſidet vnus.
Sic adeò inſiſtit, ſecumq. hæc pectore verſat.
Ecquis io legem tam duram audiuit amandi!
Antiquam flammam dimittere corde iubetis,
Nec noua corda datis? namq. his, in ſanguine viuo
Effigiata nitet dilecti autoris imago.
Tollitis hanc, pariter diſſoluere corda neceſſe eſt.
Nec ſine corde animus, neq. cor ſine Numine viuet.
Qualiter æthereas vis ignea ſurgit in oras,
Qualiter æquoreos contendunt flumina tractus,
Talis Aloyſij Numen pia cura petebat.
Nunc volucres curſus ad ſydera ſiſtite flammæ,

Numi-

Numinaq. ad patrios conuerſa recurrite fontes;
Nam Gonzaga ſuos reuocare iubetur amores.
Heu quonam pacto pugnantia iuſſa faceſſam?
Numen amas, inquit, pro Numine deſere Numen,
Ecquis amet ſine amore, & amare recuſet amando!
At languet nimio igne ſalus conſumpta: ſalute
Qua non eſt potior diuini languor amoris?
Sed fac poſſe ſuis vacuari ardoribus Aetnam.
Nil agitis, dum parcendo ſæuitis: amorem
An fertis vita vt maneat, magè vita peribit:
Membra animo ſpirant, animus vegetatur amando.
Credite; ſola pio ſupereſt medicina furori,
Pro Chriſto tormenta pati; ceu gramina riuis,
Sic in ſupplicijs animus lactatur amantum.
Addite Aloyſio pęnas, augebitis annos.
Nec pulchra ambimus ſpecioſę nomina cladis,
Vulnera nec fama totum celebranda per orbem.
Non animæ viles tam ſplendida dona rogamus
Quamquam ò! ſed mea vota regat tua Diue volun-
Occultis liceat ſaltem tabeſcere pęnis, (tas.
Et ſentire graues ſine cuſpide cuſpidis ictus,
Et magnos tacito de vulnere ferre dolores.
Supplicij tu teſtis eris, qui muneris author,
Et ſolamen eris, cuſtos, victoria, merces.
Talibus orabat pęnis Gonzaga querelis.
Pro pęnas ægro Numen ſolatia cordi
Detulit, & pretium tantorum oſtendit amorum.
Quippe videbatur ſeiuncta è corpore mente,
Ire per aerios tractus, paruæq. paludis

Inſtar,

Inſtar, aquis circumfuſum ſtagnantibus æquor,
Et veluti punctum totum hoc, quod dicimus, orbem.
At maior Cæli propiùs, maiorq. videri
Iam ſpecies, candet facies argentea Lunæ,
Argento nitidæ lucent in ſydere valles.
Sed maris igniuomi in morem micat aurea lampas
Solis, & in liquido natitant dum ſydera ſole,
Apparent maculæ ſpecioſæ in principe lucis.
Iam Martis calcatur iter, iam ſubdita currit
Fax manſueta Iouis, Saturniq. vltimus ignis.
Ardua ſupremi ſcandit iam limina Cæli,
Regaliſq. patet venienti Numinis aula;
Aula auguſta, ingens, radijs quæ clara nitoris
Ingeniti, ſibi ſola ſuum Solemque, diemq.
Sufficit, & ditat pretioſo lumina viſu.
Huc ſe ſe poſtquam Gonzaga ſedilibus aureis
Intulit, ætherei proceres inſignia regni
Expediere, nouum Cęli ornatura Quiritem.
Numinis imperio tum circumfuſa coronat
Loiolæa cohors iuuenem, & regalibus ornat
Cultibus, auguſtæ clamidis circumdat honorem
Sarmatiæ lux Koska ſuæ; Flore ambo iuuentæ,
Et virtute pares, & acerbi munere lethi.
 Hæc inquit clamis, egregia quam texuit arte
Cęlicolum labor, & ſtellas diſperſit in auro,
Calcatus compenſat opes, & ſydera terræ.
Hac trabea inſignis, cultus, & vota precantum
Excipies, ſacras Gonzaga vocatus ad aras,
Illam ferre decet tantùm, quos orbis adorat

He-

Heroas, meritoſq. nouis altaribus auget.
Borgia dein ſceptro dextram, frontemq. corona
Xauerius decorat, ſociantq. his munera dictis.
Rex eſto; pro contempta ditione paterna,
Aſtra damus, Cæliq. acies, & fulminis arma.
Quin elementa tuos expectant omnia nutus
Obſequioſa, lues ægris depulſa faceſſet
Corporibus, dicto tumida æquora tranquilla bis.
Nomine Aloyſij audito trepidabit auernus.
Hæc ille; interea dum Gonzagæ annulus aureus
Inſeritur digitis, ſic eſt Loiola locutus,
Indue Aloyſi monumentum, & pignus amoris
Perpetui, æternos hic ſignat circulus annos,
Securumq. facit fati irreuocabilis, omnia
Nam fruſtra teneas, terras, mare, ſydera, ſi te
Omnia ne perdas, ſemper timor improbus vrget;
Et quò plura tenes magis anxius; ille beatus
Nunc eſt, qui fore ſe nouit ſine fine beatum.
Cui nec fallaces parat inconſtantia ſortis
Inſidias, nec ſecla ferunt voluenda ruinam.
Numinis effigiem non hic, ſed Numen adora.
Pro gemma Deus eſt, viden, vt per gaudia ſumma
Obruit, & recreat luces fulgore beato?
Si te iucundi tangunt modulamina cantus,
Si gratus blanditur odor, ſi mollia quæris,
Luminibus vel pulchra placent, vel dulcia labris,
Fige in gemma oculos, viſu ſatiaberis vno.
Quin etiam ætatum cernes arcana latentum,
Quæ fuerint, quæ ſint, quæ mox ventura trahantur.
Aſpi-

Aſpice marmoream tibi ſurget in æde ſepulcrum,
Et circumauratis pietas gemmata tabellis.
Aſpice, quos feſto celebrabit carmine cætus
Poſteritas; tunc obſequium tua facta canentum,
Dexter Aloyſi, & populorum vota ſecundes.
Talia Gonzagæ Loiola canebat & omnes
Syderei circum ſocij plauſere fauentes.
Excitus ille ſono, ſenſumq. animumq. recepit,
Lux oculis rediјt, ſed lumina clauſit Olympo.

FINIS.

EMMANVELIS SOSÆ INFORTVNIA.

PROLVSIO.

AVidum eſſe lacrymarum genus humanum non tam ex eo liquet, quod Auroram vitæ hoc rore conſpergit, quàm quòd adulta ætate ſpectaculis gaudet luctuoſis, in quibus eius præcipua voluptas eſt dolor. An quia licet miſeriam fugiat vt infenſam natura, miſericordiam tamen amat, vt amicam humanitati? Miſericordia verò cum dolore non vacet, eam propter amatur, & dolor, vt appendix virtutis. An communis conſcium miſeriæ, quæ vitæ quintum elemen-

tum

tum lacrymas fecit, libenter alienis malis commodat oculos, vt exercitatos traducat ad ſua? An quemadmodum naufragia de littore, ſic aliorum infortunia læti ſpectamus è theatro, eaque miſerantes, vt homines lugemus, gaudemus vt ſecuri? quaſi in tanta bonorum penuria propinqui calamitas, quæ non noceat, pars noſtra ſit felicitatis. An denique in fictis argumentis lugere amamus, vt minus dolenter lugeamus in veris? cum lacrymarum quoque amarities, vt cætera cuncta, melle conſuetudinis condita dulceſcat. Sicut aſſuefactis adeò venena non nocent, vt eo mortis pabulo prorogent vitam. Vtcunque ſe habeat: Ea certe res Tragœdiam & Epopæiam vel peperit, vel ornauit, poetis triſtiſſima quæque conſectantibus, in aucupium voluptatis, dum prodeſſe volunt mortalibus delectando. Hinc Homerica Ilias Græcorum cothurnis argumenta ſuffecit; Aeneis verò Virgiliana ſingulos penè libros exitu tragico cruentat. Quamobrem nos quoque in Epici carminis argumentum delegimus tragicam calamitatem Emmanuelis Soſæ Luſitani, Dienſiolim arci præfecti, & Eleonoræ Sala coniugis, pro Regis Indiarum filiæ, cum duobus liberis. Quæ licet hiſtoria fuerit à Ioanne Petro Maffeio, tam ſuauiter, & cum ſenſu tractata, vt fabuloſas vincat veritate tragœdias, ſqualore tamen, & mœſtitia poetica imitationis expreſſus, neſcio quid habet flebilius dolor, & iucundior euadit carminum cantu temperatus.

CAR-

CARMEN.

FVnereos caſus miſerandaque fata tuorum
Inclite Luſiadum luctuſque, & gloria Soſa,
Caſtalium ad murmur gemimus, quæ gurgite in altò
Sirenes lybicis deplorauere ſub vndis,
Et nigra commotis miſerata eſt Africa monſtris.
Naufragio Oceanum mediumq. erroribus orbem,
Luſitana cohors longarum emenſa viarum,
Quà Cafrum pauper deſerta per æquora regnum
Porrigitur Lybies, in amęnæ margine ripæ
Sederat, in medijs quantum fortuna ſinebat
Læta malis; quoniam tranquillans perfida vultum
Mendaci ſperare fide meliora iubebat.
Nam manus Aethyopum, famamque & robora gentis
Admirata nouæ, vultuſque habituſque minaces,
Armaque per ſiccos latè radiantia campos,
Non auſi tentare manu, fallacibus auſi
Marte ſuo verſare dolis, & cingere fraude.
Vſque adeo ſubiecta truci plaga torrida cælo
Fertilis eſt fraudum, flammamque exquirit in vndis
In lybicis quicunque fidem ſuſpirat arenis!
Ergo hilares vultu portant mentita ſereno
Fulmina compellant ſocios, & munera gentis
Expediunt: mites fruges, & poma caniſtris
Dulcia, quò diræ fraudis dulceſcat amaror.
Luſiadum ingenui, nec docti fallere mores,
Nec tantos ſperare dolos, commercia gentis
Accipiunt, lectoſque ad Regem Soſa ſuorum

Deſti-

Deſtinat; hos prior ingreſſos ſic ille ſalutat.
Magnanimi Heroes, neq. enim peregrina per Axem
Luſiadum virtus, lybicum, cum ſole vagatur:
Quos dudum occidui venientes margine mundi,
Arboreis vaſtum ſulcantes molibus æquor
Fluctibus edomitis expalluit Amphitrite:
Quæ fortuna viros fortes tam ſæua fatigat?
Dicite: quantum etenim tellus Hyperione feruet,
In noſtro tantus, miſeris ſuccurrere rebus
Pectore flagrat amor, nutritque incendia vultus.
Dixerat: at contra mœſto ſic ore locutus
Luſiades: Princeps cui ſubdita colla reclinans
Ambuſtos Lybię demittit vertice crines:
En fortuna tuis cumulum latura trophæis,
Implorare piam dextram fortemque, ſubegit
Auroræ Dominos; quos vt complexa ſub alis
Ipſa ſuis, terris maiores fecit, & vndis:
Sic gremio excuſſos ærumnis obruit, vt iam
Oceanus Luſitana de cæde tumeſcat,
Europæque malis Lybiæ deſerta triumphent.
Sed quoniam iuuat Iliadas cognoſcere noſtras,
Quanquam animum terret facies renouanda laborũ.
Aggrediar. Ditione plagas ſi ęnabat Eoas
Garzias olim Salius, cui ſanguinis hæres
Et ſpes vna domus, & claræ filia gentis
Eleonora fuit. Virgo non pulchrior vlla
Theſauros fudit per eburnea colla comantes,
Vt radijs patrij ſplendeſceret æmula ſolis.
Multæ illam ſociare nurum cupiere potentum
Luſiadum matres; ſolam tibi fata dicarunt

Soſius

Soſius Emmanuel, quo non præſtantior alter
Dux animo, mileſque manu, defendere bellum
Mœnibus, & magnas obiectu pectoris arces.
At pietate pari, & fama virtutis vterque,
Egregijque animi, & donec fortuna ſinebat,
Ambo felices: ſi nunquam credere ventis
Æquoris eluſi voluiſſent fraude sereni.
Antiqui pia cura laris, cælique paterni
Dulcis amor, rapidos è portu ſoluere funes
Egit, & infidas curſum tentare per vndas.
Cocini celſa conſcendimus æquora puppi,
Mille ſequebantur ſocij, premimuſque carinam
Indorum gazis opulentam; vteroque ferentem
Quidquid adorato ſub gurgite nutrit Eous:
Ventum erat ad medios curſus, vbi vergit in Auſtrum
Africa, protendens cupidum, loca fęta procellis,
Quà pelagi rabies, tempeſtateſque ſonantes
Ventoſa aſſiduo conuoluunt turbine regna.
Hic inimica fidem primò fortuna fefellit.
Magnus ab occiduo conſurgens cardine ventus
Europam ſperare negat: ſubducere cœlum
Paulatim nubes, ac tempeſtate futura
Æquora paleſcunt raucum reſonantia murmur.
Vela gubernator partim legit; obliquata
Æolijs partim furijs opponit, & alis
Contractis. Zephyros furibundos ſtringere tentat.
Sed poſtquam nulla arte valet frænare ruentes,
Obſequio lenire parat; dare lintea retro
Imperat, & proram rurſus conuertit ad Indos.
Heu malè fallaci iactantur vota procellæ!

T Nam

Nam quæ progreſſum prohibet vis aſpera ponti,
Et reditum pariter negat; vrgens æquora contra
Imperioſus equis en fulminat Eurus eois.
Nec mora, nec requies: fremitu ſimul vndiq. magno
Conſpirant ventorum iræ, fodiuntque, ruuntque
Infernis totum conuulſum è vallibus æquor.
Molibus vndarum pelagus caput inſerit aſtris,
Inde ruinoſos ad tartara pandit hiatus.
Lux nimbis pulſata fugit, cadit oceano nox,
Fulmina quam crebra horrificant, ſupplentia raptum
Ingrato fulgore diem, ruit imbribus æther,
Et mare de ſummo præceps confunditur imo.
Omnia ſic vni coeunt elementa ruinæ.
Frangitur infelix ratis, & iam turbine malus
Saucius incubuit proræ, regimenque reuulſum
Stridet aquis, Boreæ volitant iam vela trophæum,
Oceanoque natant laceræ armamenta carinæ.
Tum dubia littus cernens in luce propinquum
Ereptos properè natos cum coniuge Soſa
Impoſuit cimbæ, & circum latrantibus vndis
Littora vix tenuit; comitum pars obruta fluctu,
Pars laceri ratis, vndarumque incurſibus, ægras
Aut traxere animas, aut vltima fata tulere.
Fortunati obitus! quos nec tam dira manerent
Exilia, aut raperet longa inclementia fati.
Vos habet alta quies, tumulatque in littore pontus,
Nos alijs grauior lacrymis fortuna reſeruat.
Dum per deſertas rupes, per & inuia ſaxa,
Et nemora, & ſolis habitata leonibus arua
Ducimus ingratas extrema per omnia vitas

Pel-

Pellere glande famem, ſucti, victuque ferino.
Quod te per cineres ſociorum, inimicaque fata,
Per mala noſtra, per, & ſi quod colit Africa Numen,
Oramus ſedem exilio, communia lucis
Munera, & innocuum victum, fluuioſque patentes,
Dum curſum in patriam clementior aura ſecundet.
Talia Luſiades: contra cui ſubdolus ore
Fallaci, Cafrum Dominus reſponſa ferebat;
Mittite, Luſiadæ triſti de pectore curas,
Et lætas ſperate vices; indulſerit iras
Hac inimica tenus veſtro fortuna dolori,
Ne contra immeritam deſæuiat improba gentem,
Nunc prohibere meũ eſt. Regi hæc mandata referte.
Largior hoſpitium miſerans, accedat, & Vrbem
Ingreſſus, mecum hac pariter conſidat in aula.
Vnum det meritis, monitus nec temnat amicos.
Telorum quoniam fulgorem, enſeſque minaces
Nuda tremit Lybiæ, & feralis fulmina molis,
Qualia fama canit cęlo vibrare ſereno
Luſiadas, nobis tantos auferte timores.
Omnia dum vobis pacata exponimus vltro
Quidquid alit Cafrum tellus, & pontus, & aer,
Dux veſter tantùm arma mihi ſeruanda remittat,
Diſceſſu repetenda ſuo. Cur hoſpes amicos
Armatus terres? fidei par credere nudæ eſt,
Nec mos eſt fratres latus inter cingere ferro.
Talibus infidi dictis monitiſque tiranni,
Legati redeunt, nec mollia iuſſa reportant.
At Luſitanis quanquam reſponſa videntur
Dura nimis, nimiumque viris indigna: malorum

Tot tamen eluuie feſſi, vix vlla putabant
Exilij certa grauiora pericula clade.
Ergo Ducis fremitu, circum tentoria denſo
Miſcentur, magnis clamoribus arma petentes;
Pignus amicitiæ ſtatuunt, & fęderis arma.
Ille diu renuit, funditque has pectore voces.
Quis furor (ò ſocij) malè ſuadet, gentis auaræ
Vt latus inſidijs vltro prodamus inerme?
Irritare nefas placet, & mercede parata
Perfidiam Lybiæ, facileſque laceſſere fraudes?
Sic Afrum benè nota fides? quis viribus vnquam
Hoſpitis externi poſitis ſe credidit armis?
At promiſſa tegent, iurataque Numina cęli.
Protinus iſta cadunt, vbi præda propinqua latrones
Admonuit. Ratio ſanctiſſima ſola cauendi eſt,
Ne poſſint, quod velle nefas. Sunt fulmina paucis
Terrori, iunctæ ſuperum mortalibus iræ
Eſſe pios cogunt. malè conſulit ille ſuorum
Præſidio, qui tantum alienis pendet ab armis,
Dum libeat ſeruare fidem. priuata regendi
Hæc ratio, vltores vbi habent periuria Reges.
Aſt vbi peccatur ſine vindice, quin diadema
Fert pretio violata fides, adimenda poteſtas
Eſt omnis ſceleri. Quem tantum flexit honeſtas,
Vt regnare potens nollet? penſare videtur
Flagitij ſordes, raptæ nitor ille coronæ,
Et lucrum benè ſemper olet. Quot ſparſa ſub ortum
Autumni folijs inſternitur arida tellus,
Tot ſceleri cauſæ, & decorandis nomina culpis.
Dixerat. Inſipiens monitis ſed turba repugnat.
Pau-

Paupertas facit incautos, extremaque paſſi
Vix grauiora timent. Ergo crebreſcit vbique
Seditione graui murmur: Quis finis iniquæ
Sortis erit? ſemperne inter ſpelæa ferarum,
Et vacuos hominum, cultos ſerpentibus agros
Errando feſſas animas in fata trahemus?
Queis nec morte quies. ſed nondum exangue cadauer
Rixa parata lupis, viuos tumulantibus artus.
Scilicet vt paucæ Dominis ſeruentur ab vndis
Ah male ſubductæ gemmæ, pax limine in ipſo
Spernitur, & profugi totum luſtrabimus orbem?
At fraudum metus obſtat. Inops quid turba timemus,
Cui supereſt ſperare nihil? ne forte malorum
Illuuiem eripiant, morbumque famemq. feraſque;
Cum manibus perijſſe hominum, ſit muneris inſtar,
Quos mare naufragio eiecit, telluſque repellit
Exilijs. Lætæ perierunt tempora vitæ
Iam dudum miſeris, & lucis nulla voluptas;
Da facilem mortem, ac terrarum in ventre ſepulcrum.
Hos magis atq. magis poſtquam Dux gliſcere motus
Senſit, rapturoſque manu ſi frœna negaret,
Voluimur (exclamat) furijs, trahimurque ruina
Fatali, malè vinceris, ſed vincite Ciues.
Vos tamen obteſtor mihi pectora fida meorum!
Defenſos potuit, Caſrum per funera, ferrum
Ducere, quæ peruerſa animos inſania cogit
Prodigere antiquam, cum vita, & ſanguine famam?
Hunc olim veſtræ gladium, mea dextra ſaluti
Strinxerat, ò ſocij, prodi iuuat omnia quando
Accipite; hunc vobis, non Caſrum Soſa reſignat

Fallaci Domino. aſt vnum mihi credite (vates
O vtinam falſus) doleo, moriemur inulti;
Nec fas ſolari extremum virtute laborem.
Talibus eductum cum vocibus abijcit enſem.
Idem omnes tunc ardor habet, diſcinctaque raptim
Tela reponuntur lybico portanda Tyranno.
Cauſa metus, & lætitiæ ingens; agmen inerme
Dein tacitos Regis monſtrata ad limina greſſus
Accelerant, humiles deiecto lumina vultu;
Bellicus ereptis omnis vigor excidit armis.
Haud aliter Iouis armigeras ſi quando volucres
Venator pennis ſpoliauit & vngue, maligna
Libertate data; haud illæ ſe credere cęlo,
Aut oculis audent altum ſpirare ſuperbis,
Fortia in horrendos meditantes bella dracones.
Sed memores cladis, demiſſo lumine, quærunt
Detractos vngues, & inertia brachia quaſſant.
Iamque propinquabant tectis, quę milite denſo,
Armorumque vident cinctu vallata ſuorum:
Et pulſante metu tantos præſaga cauebant
Corda dolos. tulerant vix Regis in atria greſſum
Cum ſigno periura dato, ruit vndique turba,
Mercis & Eoæ, gemmarum, & diuitis auri
Vi potitur; ſęuis illi (miſerabile viſu)
Pulſi abeunt tectis, & inhoſpita limina linquunt.
Nec tamen hic finis tantorum aut meta malorum.
Proh ſuperi! talin duxiſtis funere dignam
Inuictam Heſperiæ gentem, penituſque repoſti
Regnatricem orbis? tantas ſine crimine pœnas
Nobile coniugij decuit par ſoluere? Cœlo

Sic

Sic placitum, nec enim caſus mortalia verſat.
An potius ſors illa fuit veneranda? perennes
Quippe dies peperit funus breue. Quæque vocamus
Neſcia gens hominum lacrymas, mala, funera, clades:
Sunt alibi riſus, ſolatia, vita, triumphi.
Numinis hunc ſoboles callem ſignauit ad aſtra,
Cæleſtes tenuere viri; qui proſpera rerum
Exoſi, pretijs æterna emere caducis.
Sed vexat fortuna bonos, num parcit iniquis?
Aſcendere rogos Cræſi, raptantur ab vnco
Seiani: ſors nulla diu mortalibus æqua eſt.
Noctes, atque dies, cum lætis mœſta rotantur,
Proxima ſunt laqueis diademata, ſceptra ligoni.
Dum trepida huc illuc, incertoque anxia greſſu
Fluctuat errabunda phalanx, noua turba repente
Agreſtum telis, & acutis aſpera contis
Inuadit, timidoſque, nec auſos hiſcere contra
(Vſque adeo armorum languet ſine fulmine virtus)
Veſtibus attritis, medijs denudat in aruis.
Tu ſola Eleonora malis inuicta, repente
Vnguibus egeſta tumulum moliris arena,
Ac toto nudata elemento membra recondis.
Tum crinale aurum non hæc ad munera cultum,
Diſſoluis lugens in pectora, & igne decoro
Tincta, verecundos velauit purpura vultus.
O rarum niuei exemplum matrona pudoris!
Siccine ſiderea tibi cara modeſtia luce,
Eſt magis; vt quando crudelem abrumpere vitam,
Non licet, effoſſo tumuleris viua ſepulcro,
Barbara ne caſtum delibent lumina corpus?

Poſtquam muta diu, ſaxoque ſimillima ſedit,
Vt pudor attonitæ, diſſoluit vincula linguæ,
Ad ſocios tandem vultum demiſſa profatur.
O ſocij quondam vnanimes, fruſtraque meorum
Tot bellis inuicta manus! ſat tela nocentis
Fortunæ, rabiem tulimus, terræque, mariſque
Hactenus, & licuit: non tempore defuit vllo
Veſtra fides, veſtrum obſequium, delere, quod ætas
Nulla queat memori ex animo, dum littora noſtros
Iactabunt cineres, & dum poſt fata ſuperſtes
Vmbra mei, Lybiæ notis errabit arenis.
Sed quæ vis tantos poſſit durare furores?
Cedamus fatis, dudum iſta piacula noxis
Debita erant noſtris, dabimus nos ſanguine pęnas:
Vos tamen ò veſtris ſuccurrite caſibus, oro.
Et ſi quos olim melior fortuna paternis
Appulerit terris, noſtros narrate labores,
Natorumque, virique vices. Poſt vltima verba
Lugentes abeunt comites, & corpora nudi
Villoſis miſeranda feris heu turba vagantur.
Eleonora oculos natis defixa tenellis,
Inſontes vultus lacrymis ſpargebat amaris.
Illi materno tendebant brachia collo
Flentis, & ignaris tergentes lumina palmis
Præbebant miſeræ ſolatia dura parenti.
Interea dulci lacrymas pro lacte trahebant.
O tibi quæ tacitum fodiebant vulnera pectus,
Et gemitus quot Soſa dabas? cum nuda videres
Corpora natorum, & merſam tellure parentem.
Quàm tua rumpebant miſerorum viſcera queſtus?

Cum, neque conſueto famulum recreare liceret
Obſequio, aut iuncto planctu lenire dolorem:
Sed deſertus inops, ſyluis quererreris, & auris.
At vicina fames iam fata extrema minatur.
Exhauſtis arent pendentia faucibus ora,
Conficit & macies ieiunos horrida rictus.
Heu quid agat! quave arte famem depellat iniquam
Incluſus vacuis campis, luſtriſque leonum?
Anne abiens quocunque paret diſcrimine victum?
Sed laceranda feris heu! pignora cara relinquet.
An ſedeat cuſtos, propugnatorque ſuorum?
Scilicet vt ſicco morientes funere cernat.
Ambiguam tandem, haud dubio præponere damno
Perniciem iuuat, & clades incerta ſalutis
Inſtar habet; magni emenſo longo æquore campi,
Ad circumfuſas tendit veſtigia ſyluas.
Hic raptim corylos, ſylueſtreſque arbore glandes
Importuna legit victus ſolatia; ſed iam
Alter natorum letho conceſſerat, alter
Matris in amplexu, iam fata extrema trahebat:
Illa dolens tot victa malis moritura gemebat.
Infelix genitor, lacrymarum munera natis
Diuidit, & victus; viuentem nutrit acerbis
Glandibus, extinctum tumulo componit arenæ,
Tum ſuper incumbens lacrymoſo hæc edidit ore.
Heu miſerande puer! primos cui fata parentis
Inuidere dies, huc vaſta per æquora vectum
Te rapui, vt genitor, crudeli funere, natum
Conderem in ignotis nudus, peregrinus, arenis?
Has patriæ ſedes, monumentaque cernis auorum?

Sic

Sic regnas? ſic te maiorum in ſceptra repono?
Tu tamen ipſe tuam tecum ſolabere ſortem.
Primus abis, nullum funus viſure tuorum,
Nec gemitus, nec fortunæ iam vulnera ſentis;
Funeris immitis quin & cumulata tuliſti
Officia, in mœſtæ gremio, defuncte parentis,
Fraternum ad luctum, & manibus tumulate paternis.
Talibus ad ſurdum cinerem, & gelida oſſa querenti,
Sola dabat reſponſa cauis de vallibus Echo,
Et ſociæ Alciones circum lamenta ſonabant.
Ille iterum ſtimulante fame, nemus intrat opacum.
I Soſa, i, tantum duro ſub faſce malorum
Indulſit fortuna tibi, ne fata ſuorum
Vltima luſtrarent oculi; niſi forte timebat
Ne te deſereret, tua funera, vita, tuentem.
Heu luctus ignare tui! quid ſaltibus erras
Immemor, & vanis impendis tempora curis?
Tu quatis ilicea glandes ex arbore, natus
Qui ſuper vnus erat, crudeli morte peremptus,
Maternis exanguè caput declinat in vlnis.
At miſeranda parens vicino frigida letho
Ingratum fruſtra iam iam fugiente laceſſit
Voce polum, fruſtra nomen compellat amatum.
Coniugis (ah miſeram) amplexu diuiſa ſupremo.
Ac velut vnanimi deſerta compare turtur,
Cui ferus implumes nidos populauerat anguis,
Ipſam etiam vidua plorantem triſte ſub vmbra
Ferreus igniuomæ venator arundinis ictu
Perculit incautam, traiectis alite plumbo
Oſſibus: illa dolens, terræque afflicta ſupremùm

Suſpirat; coniux at neſcius aera luſtrat
Interea, tantos dirimi nec ſperat amores.
Nunc age Melpomene tragico ſuccincta cothurno
Dic mihi: quis miſeri lacerauit pectora morſus,
Dum nemora egrediens, viſu miſerabile, cernit
Exanimem natum, defuncta in matre iacentem?
Quis faciem inuaſit pallor? de morte propinqua
Dum ſparſis ſuper ora notis volitabat imago,
Nulla rigeſcentes cum flecteret aura capillos?
Sed par extinctis ambobus (deme dolorem)
Spirabat tacitum funus, vultumque, coloremque,
Et ſine luce genas, qualis quem fulminis ignis,
Afflauit geminos oculorum exterritus orbes?
Soſa taces? vociſque tibi dolor obſtruit vſum,
Raraque per gelidas decurrit lacryma malas?
Scilicet hæc ſummo deerat menſura dolori.
Vt neque conſueto lacrymarum rore leuares
Cordis amaritiem, nec mœſtas pectore curas
Aut gemitu egereres, aut ſolarere querelis.
Soſa taces? Pro te ipſe, loquar, querar ipſe, tuáque
Clade reas ſyluas, campoſque, & ſaxa ciebo.
O ſyluæ, memores ſyluæ! & vos ſaxa dolenti
Conſcia, cum veſtræ tot agatis ſæcula vitæ
Ecquid in immenſo meminiſtis acerbius æuo?
Heu genitor, iam non genitor! triſtiſſime coniux,
Nec coniux dicende mihi! ſolatia quondam,
Nunc dolor, & vacuum ſine munere, nomen amoris!
Sic legis ipſe tuum geminato in funere funus?
Sic tibi fatorum, præſcriptam numine vitæ
Cernis in extinctis ſupremam vultibus horam?

Viuis

Viuis adhuc tamen, æthereis & veſceris auris;
Nec potes inuiſæ perrumpere ſtamina lucis?
Quid ceſſat dolor immitis? cur fata morantur?
Heu miſerum! non vitam optas, non gaudia lucis
Te tangunt, quid enim reliquum tibi dulce tuorum?
Sola animam retinet fugientem cura ſepulcri,
Ipſe feris, heu preda, auibuſque future marinis?
Ergo diu poſtquam męſtis obtutibus hæſit
Attonitus, paulùm defunctæ coniugis atram
Subnixus dextram mento taciturnus inhæret.
Illa licet gelidæ torpens à frigore mortis,
Coniugis antiqui veluti cognoſceret ora,
Ibat in amplexus, aſſuetaque colla tenebat.
Hinc ægrè tandem vix ſeſe auellit, & altos
Pectore dat gemitus, tum nati ad buſta ſepulti
Ambos componit tumulo, ſupremaque caræ
Mixta refert lacrymis diſcedens oſcula terræ,
Atque iterum in ſyluas tacitus ſeſe abdidit imas.
I caput infelix, ſcenis lacrymoſa futuris
Fabula, quam tragico plangent in ſyrmate gentes.
Inuiſam i terris faciem & cæleſtibus abde.
Te narrante tuas ad ſaxa, tigreſque querelas,
Mollirique queant ſaxa, & miſereſcere tigres.
Tu pelagi infidas ſenſiſti naufragus vndas,
Tu deſerta ſiti regna, immanemque tuliſti
Barbariem Lybiæ, tu regis inhoſpita tecta:
Tu ſpoliata (nefas) vidiſti nude tuorum
Agmina, ſponte ſua vxorem tellure ſepultam,
Inſuper exhauſtos Cereris ſine munere natos.
Tu quoque dum ſyluis agreſtia poma legebas,

Deſertis illi campis extincta iacebant
Corpora, nec genitor potuiſti (heu fata) ſupremum
Accipere ore vale, & morientum cernere vultus.
O caput infelix, venturis fabula ſæclis!
I ſyluis te conde, ingratoque eripe cœlo.
Hic te (quandoquidem tua funera fama recondit)
Seu circum errantem rabidarum luſtra ferarum,
Fulmineo ſæui laniarint dente leones:
Seu deſertus iners, iaceas in littore truncus;
Quem nuſquam æquorei ſinat vnda quieſcere fluctus
(Quidquid atrox etenim, quidquid crudele putandum
Accipe funereæ ſolamen triſte Camenæ eſt)
Ærumnis victure tuis, & Apolline noſtro,
Nobile nomen eris terris, ſed flebile Soſa.

FINIS.

Digitized by Google

SATYRA
IN VARIA
VITIA.

Digitized by Google

SATYRA.

HVc age Calliope, nugas depone canoras
Pauliſper mecum, & pro plectro ſtringe flagel-
Aurataмq. lyram, chordis imbelle ſonantem (lum;
Frange furens, ipſa Phœbi in ceruice, repexa
Fœmineum in morem, & Capuæ redolente tabernas.
Cur impune ſonant toto biſſina carmina vatum?
Nullus adulandi pudor, aut modus; ipſaq. palpant
Crimina; ſi gula, ſi ventoſa ſuperbia regnat,
Lautia menſarum, mentis generoſa vocatur
Nobilitas. Vtcumque ferenda hæc; illa merentur
Stigmata: munifici titulo decoratur auarus
Euclio, Timonem, blandum, comemque ſalutant;
Compoſitus cum fulmineo Paris Hectore, criſtas
Attollit, gaudet de ſobrietate triumuir
Laudari, vomitu impleturus mane tribunal.
Clemens Sylla, Nero pius, & caſtiſſimus audit
Mollis Otho, ſpeculum quamvis in bella ferebat.
Nec quiſquam ad laudes (frons eſt tam ferrea) falſas
Demittit vultum, ſtomacoque has ſorbet eodem,
Quo turdos, piſces, paſtillos, mella, falernum.
Interea infelix virtus laudatur vbique
Et friget, vitia hoc ſub nomine tecta triumphant:
Dum perſonatis gaudet virtutibus orbis.
Nec ſemel hæ laruæ, toto ſpectantur in anno.
Haud palpare viros ſatis eſt, infantibus ipſis
Vix natis, immo nec natis, quippe recenti
Connubio, atque illis nunquam fortaſſe futuris,

Pangit adulator mendacia carmina vates;
Cum furor afflauit fanaticus. (Auguror) inquit,
Quondam purpureo puer hic fulgebit in oſtro.
Quis ſcit, an & triplici radiet diademate cinctus?
Neſcio quid clarum Capricorni ſydera monſtrant,
Et canit Aſtrologus, cecinit qui funera Regum,
Et laqueum euaſit; felix! nam certa ſubire
Fata ſolet, qui Regum audet prædicere fata.
Quin hic Bellonæ furias ſpirabit, & idem
(Tempora noſtra ferunt hæc) dux erit atq. ſacerdos.
Quantus in arma ruet? lateq. cadauerum aceruos
Eriget in montes? tum flumina cæde tepebunt
Turcarum, & fracto mœrebit Cynthia cornu:
At Turcæ irrident, raptis, hæc carmina, regnis.
Interea vitia impunita vigent, mala ſerpunt
Noxarum, & creſcunt intactæ à fulmine fraudes.
Calliope ceſſas? vlciſci crimina, cura
Principibus prior incumbit, ſed proxima muſis,
Carmine vos, ferro caſtigant crimina Reges.
Eripe perſonam vitijs, laruamque decoram
Virtutum, niueas Cycni cornicula plumas
Exuat, & vera pateant in imagine monſtra.
Nemo nefas, ipſum propter, complectitur, aurea
Sed fallit, confuſa malo bonitatis imago.
Prætextu tegitur vitium iuuenile decoro,
Quòd decet ad morem ætatis nos fingere, ſeclo
Viuere, torrentem nec brachia ducere contra.
Ridiculum. Omnibus inſurgat ſi præcipitandi
Impetus in Tyberim, vt placeas ſeclo, ipſe præibis
Sponte furens? tanti eſt alieno viuere voto?

Inuen-

Inuentas olim veſtes ad corporis vſum,
Ætatis leuitas, nugis ſeruire coegit.
Pileus anguſta crines vix integit vmbra,
Nec ſoles arcere valens, nec pellere ventos,
Explicet vt pompas omnes coma pulchra; ſed illæ
Deliciæ conſtant magno. Si nubibus imbres
Diſtillent, indefenſi cœleſtia crines
Flumina tota bibunt, ſerpit per colla, per armos
Humor, & inuitus Ganimedes ille lauatur,
Frigidaque in madidis circumfert balnea pannis.
Phębe potens cytharæ, atq. inuentor Bacche lyæi,
Queis nunquam capitis, tonſor violauit honorem,
Tam pulchras tanton' duxiſtis crimine dignas
Ceſaries? rapidis vt ſint ludibria nimbis,
Vt madeant nebulis, ventis vexentur, & imbri?
Quid iuuat extruxiſſe ſuperbum in fronte theatrum,
Diſpoſitis vtrinque comis? aut turris ad inſtar
Aedificaſſe caput tumulis crinalibus altum?
Quid calamiſtratos Cypro adſperſiſſe minuta
Cincinnos, & rore leui beneolentis amomi,
Si venti, & pluuiæ pulcro de crine triumphant?
Pilei auaritiam collaria ſplendida penſant.
A collo, atq. humeris Cameracum textile inundat,
Luſaque acu phrygia, Belgarum candida vela;
Scilicet his ventoſa ſuperbia nauigat alis.
O magni Curij, Tuberones, Fabricijque,
Pauperie illuſtres animæ, riſum teneatis
Talia cernentes? æuo collaria veſtro
Nulla, canes niſi quæ cingebant lora, latronum
Aut quæ pendebant ingrata monilia collo.

Nunc laquei collo tanquam ornamenta coruſcant:
Quid refert, funes ſtringant, an lintea fauces?
Vtraque carnifici certè ſunt commoda tela.
Nec tamen hic finis, maioraque monſtra videmus.
Calceus è corio, partes falcatus in æquas
Deſinit, effingens lunaris cornua gyri.
Et non exclamem, vocalem vt Stentora vincam
Voce mea, & Martis clamorem bella cientis?
O rerum facies mutatæ, ò crimina luxus!
Cornua nunc pedibus, iam non in fronte geruntur.
Iuppiter omniparens, qui tectus imagine tauri
Dictæas quondam carpſiſti corniger herbas:
Cornibus & ſolita interdum vaneſcere Luna,
Semicaprique greges, Satyri, Faunique bicornes,
Dedecus à veſtris defendite cornibus ingens.
Quid meruere, pedes vt damnarentur ad imos,
Nobile quæ in ſumma pandebant fronte theatrum?
Verùm in fronte oculis ſuſpecta notantur iniquis,
Propterea libet extremis abſcondere plantis.
Nil agitis, vitium calcaneus ipſe loquetur.
Purpurea vitta crus ægrum vinxerat olim
Pompeius, Momus videt hoc: inſignia regni
Geſtat Magnus, (ait) cauti vigilate Quirites.
Atqui non frontem, crus velat faſcia. Refert
Nil (inquit) qua nam membrorum in parte geratur,
Hoc certè diadema eſt. Sic tu, vbicunque locabis
Quæ ſunt, ſemper erunt, intelligis? expue nunc ter.
Sed leuia iſthæc, vt nugæ ridenda, quid illa
Non potius deflenda? quod ætas omnis habendi
Inſanis deſiderijs flagrat, & ſapientis

Ac frugi laudes, triſtis lucratur auarus;
Qui parat aſſiduò nummos, parcitque paratis,
Nec Cœlum ſpectat, niſi quatenus aurea voluit
Aſtra, ſed argenti maſſam vel præferat aſtris.
Decumbens,morti languebat proximus, æger
Diues, auaritia iam pridem perditus; illum
Ad ſuprema, loci Miſtes, animæque Magiſter
Firmabant monitis; pendentis de cruce Chriſti
Attulerat ſimulacrum, vti fit, nitido ex argento,
Authorem oſtentans vitæ, in luctamine mortis.
Æger luminibus cœleſti in imagine fixus
Vſque morabatur: gemitus, ſuſpiria, fletus
Teſtabantur amore liqueſcere, viſcera Numen
Sentire, & partem vitæ libare beatæ.
Tunc circumfuſi tanta pietate propinqui
Gaudebant: En hic, vt amat! quanto æſtuat igne!
Felix ò nimium felix! dum vita manebat
Ille quidem fuerat nummis attentior, vt ſe
Expedijt? vitæ rapuitque in limine Cœlum?
Hæc illi: ſpes deluſit ſors improba falſas,
Vanaque mutata patuerunt gaudia ſcena.
Namque æger tandem torpentis vincula linguæ,
Affectu nimio vires præbente, reſoluit,
Effundens tales moribundo pectore voces.
O Pater, an binas fortaſſe hæc pondere libras
Implet imago? nota certè è meliore videtur
Argentum, nam corda beat mihi; ſuetaque flamma
Vrit, io! ò dulce argentum! vt te, pene reuixi
Dum teneo! quamvis anima iam deficiente
In venas ſerpit morientes aura metalli.

Et ſimul his dictis coniungens oſcula, rurſus
O pater, an geminas æquabit, pondere libras
Effigies hæc, dic ſodes? quid diceret ille?
Ni ſe incuſaret ſtupidum, pro authore ſalutis
Qui laqueum miſero, & necis inſtrumenta tuliſſet.
Sed quis Dagonem intra arcam latitare putaret?
Materiemque tegi dia ſub imagine, tanti
Flagitij? Vitulo Iſacidæ ſi thura dediſtis
Impia, nequior hîc in Chriſto idolon adorat.
Sic miſer argentum pro numine ducit auarus.
Crudeles alij, lęthale rubentibus armis
Vota ferunt, ſtrictique aciem mucronis adorant.
Quos illaudati rapit alea dira duelli
Ad ſtyga, per vetitas à cœlo, & principe mortes.
Proh furor! vna domus quos ſæpe, eademq. tenebat
Menſa, leui ſubitò accenſi ad certamina dicto
Proſiliunt, pugnæque locus captatur, & hora;
Mutua vbi fuſus per vulnera ſanguis inundet,
Et vel vterque cadat damnato victima marti,
Vel cadat alter, tartareæ ſimul hoſtia flammæ,
Nam quamuis multùm vel ab hoſte rogetur (amicus
Scilicet ante fuit) vitam vt pro munere victus
Accipiat, vitam renuit, ceu crimen honoris.
Infelix! ſic fama breuis, ſic nomen inane,
Aeternas ſubigit pœnas cum morte paciſci.
At quæ fama potis, tantos lenire dolores?
Ecquis honos? dum flamma vorax, dũ viſcera paſcent
Perpetuæ volucres, & viua cadauera rodent.
Vos licet immenſis attollat plauſibus Orbis;
In totidem linguas radios fulgentia vertant

Sidera,

Sidera, & æthereo ſol currens æquore, laudes
Occiduis narret populis, & narret Eois,
Piramidum moles, auguſtaque Mauſolea
Et Policletæo ſpirantia marmora cęlo,
Omnis honoratis incidat manibus ætas,
Nil tumuli vos, nil tituli, laudeſque iuuabunt.
Damnatoſque ſuæ cruciabunt murmura famæ
Acriùs, aura leuis famæ ſi ventilat illos.
Sed nec honos culpæ ſordes, nec fama colorat.
Nam quo poſteritas hos nomine mittat in æuum?
Appellet ſapientes? At ſapientia non eſt
Cauſa vbi vana ſubeſt, veram profundere vitam.
An fortes? Animam fortis qui deuouet aſtris,
Aut patriæ, aut Regi, iuſto in certamine: quiſquis
Vitam aliter ſpargit, demens, temerarius, excors,
Prodigus, immanis, durus, furioſus habetur.
Nec ſatis eſt illos furibundo occumbere marte:
Ne ſoli pereant, rapiunt ad fata ſodales.
Munere pro dulci, duram (ò dementia) pęnam.
Nomen amicitiæ ſoluit, quæ dona nec hoſti
Danda forent, capitis trahere in diſcrimen amicos,
Atque animæ, pars officij, vrbanumque vocatur.
Quid faciat miſer? ad cœnam qui venerat vnà
Non ſemel, ad dubij conuiuia triſtia martis
Non rediturus abit, gratis & pugnat in hoſtem.
Non læſus, quem non læſit, volat vndique ahenus
Nimbus, vtrinque chalybs tonat exitialis: at illic
Sæpe cadunt hoſtes ficti, verique ſuperſunt.
Heu quanta in nullos virtus conſumitur vſus!
Iſte cruor potuit Thracum demergere lunam.

Iam quibus hæc diris, quam atroci facta vouerent
Carmine? qui gladiatores inuenta Megeræ,
Dixerunt, Orbis furias, & carnificinam
Humani generis? populo plaudente theatris
Agmina pugnantum quoties iugulata cadebant:
Impaſtas ſeu iuſſa tigres inuadere nudis
Vnguibus, aut fauces rabidorum intrare leonum:
Siue procurarent cum ſacra nefanda, Deorum
Effigies; mucrone Popæ mactata piarent:
Humano quoties reſperſæ ſanguine menſæ
Non ſecus ac Baccho, quoties maduere ſepulchra.
Pluraque patritias pauere cadauera mortes,
Inuidioſa dedit latè ſpectacula ſanguis.
Tam ſæui ritus, & prælia more ferarum.
Hæc olim toleranda; fides vbi lumina terris,
Intulit, & cœli ſpem viuam, erebique timorem
Chriſtiadas mirum, tantæ ſuccumbere noxæ
Tartara qui credant vetitis patefacta duellis
Deglutire animas, longoque abſumere letho.
Gloria ſed pungit iuuenilia corda? Duelli
Eſt inhonorus honos, proboſaque gloria. Quòd ſi
Legitimum decus, & præconia fortis, amatis,
Creta vocat, propior vel Dalmata, Turca premendus
Eſt vbi, tormentum fidei, Europæque tyrannus:
Illo quæratur Bellatrix gloria campo:
Vulnera pulchra, neces claræ, ſanctique triumphi.
Quis credat? pueros teneros, malè ſana duelli
Inſtigat rabies, vetitas committere pugnas,
In prauis adeo factis quoque vincere dulce eſt.
Inciderat puer in Iudæum forte ſuperbus,

Aſpicit hunc toruis oculis, falſumque renidens,
Heus (inquit) Iudæe canis, promitte ſuillam
Mandere, vel fodiam centum tibi lumina pugnis.
Mox crucis efformans digitis venerabile ſignum,
Ocyus hanc venerare crucem. Caput ille retorquens,
Quis tibi regna dedit puer? Innocentius Vrbis
Eſt Dominus ne an tu? Reſpondens talia ſtipes?
Hæc cape. Et ora ſimul pulſat: puer vnus & alter
Cernentes, properant velut ad conuiuia læti,
Certatim, & miſerum pugnorum grandine tundunt.
Iudæus ſupplex cadit in genua, atque paternæ
Oblitus legis, dextram ferientis adorat,
Vt tres aut quatuor liceat dentes retinere,
Ad ſummum, reliqui titubant, ducuntq. choream.
Ergo ſatis conciſus abit, puerique proterui
Exultant, quaſi rettulerint ex hoſte triumphum,
Et non inſontem pulſarint, ac nihil auſum.
Sed Iudæus hic eſt, & noſtri nominis hoſtis.
Vera: quid ad te? Quos patitur Regnator Olympi,
Et diuina ſinunt, humanaque viuere iura
Tu punire audes? metuat iam Turca propinquum
Excidium, tantus fidei nam contingit vltor.
Crede mihi, non ſemper erit veſania felix.
Quondam audent etiam miſeri. Si forte remotum
A turba inueniant Iudæi, qui genus acre
De Samſone trahunt, hos ſabbata nulla vetabunt
Quin pęnas abs te repetant, cogantque reuulſis
Dentibus, ad pappam rurſus, mammamque redire.
Nec tamen hic finis: lapidum in certamina tendunt
Audaces pueri media vrbe: Vtrinque feroces

Stant acies, reſonant fundæ, lapideſque rotati
Hinc, atq. hinc crepitant, crudos puer improbus ictus
Declinat vigilans oculis, & corpore toto,
Brachia tunſa gemunt interdum, & verbere coſtæ.
Sed vulnus capitis pœnam lex barbara cogit
Soluere, victoriq. puer fert dona cruentus,
Et pretium pendit gratus, cum ſanguine nummos:
Vt ſua vix medico merces ſoluenda ſuperſit.
Furcifer, exerces tales pro Gymnade ludos?
Pallada ſic colis? & pro libris atque papyro
Pro calamo fundam tractas, ſaxiſque vibratis
Scribis in aduerſa crudelia vulnera fronte?
Barbara ſed themata, haud docuit ſcribenda magiſter.
Egregiam verò famam, & decora ampla reportas
Cum ſocijs. Omnes capite hi cenſi, æris inanes,
Vrbis quiſquiliæ, fex plebis, inutile cenum,
Incerto genitore ſati, fratreſque gigantum.
Creſcite filioli Martis, tanta indole digna.
Nam vos fata manent; è vobis deinde Latrones
Sacrilegi fient, lurcones, ſcurra, nepotes,
Fractoreſque tabernarum, ſycophanta, ſatelles.
Præmia dein meritos, fuſtes, funeſque ſequentur.
Ad centum cellas remus lentandus in vnda,
Collaque de trabe tergemina ſuſpenſa, trophęum.
Hoſtia Bellator procumbit in æquore Marti.
Ganeo ſed ventri ſapientior immolat. Inſtar
Quippe ſacerdotis coquus eſt, altare palatum,
Victima ſunt epulæ, in ſtomachi penetralibus ignis
Perpetuò calet, atque intus ſua Numina ſentit.
At Gula fœda licet, larua ſe occultat honeſta:
Naturæ

Naturæ deſiderium, vacuiſque latratum
Prætexens ventris, qui tanquam creditor inſtat,
Subſidium vitæ, fomentaque debita poſcens.
Iure quidem; ſed non expoſcit venter, vt aſſis
Confundas elixa, Lucrina vel oſtrea turdis,
Aut miſſum Eridano ſturionem, in viſcera mittas.
Plura libido petit, modicum natura, docetque
Non viuendum vt edamus, at vt viuamus edendum
Tu ne edis, vt viuas, cui vitæ cauſa palatum eſt?
Quatuor, & digitis qui gutturis omnia donas,
Cor in ventre gerens, vt piſcis nomine Aſellus?
Qui vomis,vt comedas, comedis reuomēda,graueſque
Nocte, dieq. cibos malè concoquis? Altus vbi ſol
Egit equos, cum iam prandendi proximat hora,
Surgis hebes, tardus, ſtomachi fumante camino.
Ecce cliens rogat audiri perpauca. Moleſtus;
At veniat. Cauſam ſibi dum canit, eluis ora,
Cæſariem pectens,& purgans ſordibus aures.
Interdum vt videaris acutus, paucula quædam
Illi verba refers, & cauſæ verba cohærent,
Sequana vt Hiſpanis, Galliſve cohæret Iberus.
At quot dicta facis, faciem tot ructibus imples,
Vt ſatur ire queat, qui impranſus venerat. Ergo
Ille fugit tandem, & reſpectans tempore longo,
Fœdum execratur limen, dominumq. proteruum.
Feliceſq. vocat quoſdam populos, vbi iudex,
Inciderat dignus ſi quando vindice nodus,
Excuſſas pedibus crepidas iaciebat in altum?
Hæc ſi recta redit, tu vinces; at tibi cauſam
Addico, ſi inuerſa cadit. Sic perbreuis hora

Ad

Ad crepidæ iactum, dirimebat deniq. litem.
Nunc mihi quot ructus, faſtidia quanta voranda,
Vt litem perdam? Secum ſic plorat iniqua
Fata cliens, & te tota diffamat in vrbe.
Tu ſapiens, vanas ſatyras, & ſibila vulgi
Negligis, haud intrant guttur, nec viſcera lędunt.
Nonne animi domus eſt (inquis) pulcherrima corpus,
(Affirmant ſi vera ſophi) huic incumbere certum eſt,
Hanc colere, aruina muros attollere pingui,
Membrorumq. magis pomæria dilatare
O te felicem ventris Bollane profundi.
Qui ſpatio potuiſti adipem diſtendere tanto,
Quantum mole bouē æquaret, ſolidumq. Elephantem
Pondere, nam te non vnus portare caballus
Sufficeret, ſpatioſo implebas corpore plauſtrum,
Sarcina bis gemino non aſpernanda iugali:
Sic Tiburtinæ rupes iumenta fatigant.
Quin memorant nullo extinctum te fulmine morbi:
Indulſiſſe genus nam mortis amabile diuos,
Ac veluti muſcam, iucundo in melle natantem,
In ſucco perijſſe tuo. Macte, æmula Romæ
Magna anima! Illa ſuæ perijt per vulnera dextræ,
Par decus in propria merſum expirare ſagina;
Bollani iactent ne funera, morbus, & enſis,
Aut quiſquam Aiacem hunc valeat ſuperare, niſi Aiax.
O pecus humana in forma, miſerabile ventris
Mancipium ſoboles Harpyarum! Hæccine facta,
Hæccine dicta hominis? ſic vino, epuliſq. iuuabit
Particulam diuinæ auræ, mentiſq. lucernam
Obruere? Ah miſer expergiſcere! cerne ciborum

In-

Infandum finem, in quæ tandem deſinat aluus.
Campo infelici cur plurima ſemina mandas?
Vnde aliæ veniant fruges, quam pinguis ariſta,
Aut violæ molles, aut purpurei hyacinthi.
Sed morbi innumeri, nec tempeſtiua ſenectus,
Sed cheragræ, & podagrę, ſcabies, capitiſq. dolores,
Aſſiduuſq. tremor membrorum, & ſibilus auris,
Et caligo oculis, mucoſaq. lacryma naſi,
Tum ſubitæ mortes, grauiorq. cadaueris horror.
Aſpice, quanta gulam vitiorum turba coronet,
Luxuria eſt princeps; ieiunis bella cupido
Non mouet, in ſaturos pharetram conſumit, & arcum
Nec vulnus ſine cæde vllum, ſine vulnere telum.
Cęſaris incaſſum ſiccam peruertere mentem
Tentauit, ſed te Antoni male caute ſubegit,
Nam temulentus eras, meretrix Regina Canopi.
Hinc bella, & clades, victoq. Oriente triumphi
Nauales, hinc Antoni poſt funera regni
Funus, at in pictis viuis Cleopatra tabellis,
Brachia mordenti præbens nudata colubro.
Sed iocus hæc fuerint, quæ cum labentibus annis
Labuntur volucri curſu, fugitiua ſequuntur
Gaudia manſuræ poſt fata nouiſſima pœnæ.
  Tergeminos eadem patria, & domus vna ſodales,
Cœlibis ac vitæ ſtudio, deuota Tonanti,
Quam fregere, fides iungebat, ducere vitam
Perpetuo aſſuetos inter conuiuia luxu,
Scilicet, & Veneri poſt Bacchi ſacra litare.
Fortè ſemel cęnam prolixæ in tempora noctis
Protulerant, pateram ingentem tunc accipit vnus:

Hanc

Hanc (inquit) genio, cui ſunt conuiuia cordis,
Stupra, voluptates, & gaudia noſtra, propino;
Inde epulis, vinoq. graues, dant corpora ſomno.
Ecce autem media dum nocte, ſilentia terras
Furua tenent, auræq. tacent, & fluminis vndæ,
Fit fragor in tectis, murmur crebreſcere, tandem
Pulſatæ, impulſæq. fores ſimul. Ecce ſuperbus
Ingreditur venatoris ſub imagine Dæmon,
Scintillas oculis, fumum de naribus efflans.
Hunc gemini medium comites cinxere nigelli,
Hinc, atq. inde, coquos vultuq., habituq. putares,
Hic tædam, ille veru tergo fatale gerebat.
Interea fuſi per mollia ſtrata ſodales
Diriguere metu, & lodicibus inuoluerunt
Adductis ſubitò capita, hinc furtim ſpeculantes
Per rimas fera monſtra, veruq. immane tremiſcunt.
Tum verò ille ferox ardentia lumina voluens,
Et lectos circumſpiciens, ſic intonat ore.
Ociùs ò famuli, quis nam pinguiſſimus horum,
Quem libeat ſtygijs affatum imponere menſis?
Explorant illi celeri membra omnia tactu,
Hi muſſant, trepidant, execranturq. ſaginam,
Corpus habere fame mallent & ſiccius ipſa.
Ardua lis, aiunt, & Iudice digna Dearum.
Ne quemquam iniuſtè prælatum, iure querantur,
Eſt metus: ex æquo pingues ratione videntur
Diuerſa; ventrem ille gerit qui dolia vincat,
Coxas hic, quales, Agrippæ templa columnas,
Alterius collo tauri palearia pendent.
Sic dum aliquo exuperant omnes, victoria nulli eſt.
Ergo

Ergo venator tunc formidabilis Orci:
Quando (ait) arbitrio locus eſt, hic vincat amicus,
Qui nos heſternis epulis, in vota vocauit.
Nec mora: corripiunt ſtratis, immane trementem,
Semianimemq. metu, & gelido ſudore liquatum,
Traijciuntq. veru porrectum corpus acuto,
Ambabus pariter manibus, pedibuſq. reuinctis.
Carbones viui, ſubituſq. apparuit ignis,
Quem fudere faces, quas dextra, oculiſq. gerebant.
Ille miſer, pruna ſubter crepitante, rotatur
In gyrum, flammas paſcens, & paſcitur illis.
Cum barba primi conflagrauere capilli,
Stillat adeps, ſtrident artus, & membra ruborem
Alba trahunt, picea fumat caligine tectum.
At ſocijs nares noto contingit odore
Corporis aſſati nidor, penituſq. voraces
Sentirent flammas, ni frigus grande timoris,
Vulcani nimium feruentis temperet æſtum.
Tũ coquus: hic planè eſt aſſus, ferte (inquit) ahenum
Si placet elixos ſocios dare; flamma camino
Dum calet, & querulus noua pabula flagitat ignis.
Eheu quis miſeris fuit inter talia ſenſus?
Tum Princeps Dęmon: ſatis vna nocte peractum eſt
Nos inimica dies afflat, prohibetque morari
Longiùs; hos alios alia dein nocte coquemus,
Cras, olim, nunquam meritos ſua pœna relinquet
Sæuior illa quidem, quò ſerior. Hæc vbi dicta,
Diſcedunt, animam infelicem ad nigra trahentes
Tartara, torrendam rurſus fornacibus ignis
Aeterni, cuius pictura hic ignis, & vmbra.

Aſſa-

Aſſatum nuda corpus tellure relinquunt,
Mane quod attoniti vix agnouere ſodales;
Ignibus exhauſtam faciem, dirùmq. rubentem,
Introrſuſque recedentes patuli oris hiatus;
Et cute ſiccata membrorum, viſcera toſta,
Nudatumque caput, populataque lumina frontis.
Quid de animo nunc fit, ſi clades corporis hæc eſt?
Tam volucris tanta luitur mercede voluptas!
Haud dubitanda fides, & non ſunt fabula manes.

FINIS.

RE-

REGNVM
PAVPERTATIS.

PROLVSIO.

IN Orbem perpetuò rerum Naturam circumuolui, elementis, mixtiſque corporibus altero in alterum immigrantibus, vetuſtiſſima ſapientium ſententia eſt. Sed alius inſuper Orbis rerum humanarum admirandus occurrit celebri diſtico comprehenſus

Pauperies pacem dat, opex pax, copia luxum,
Luxus bella parit, bellaque pauperiem,
Pauperies pacem.

Quod ſi Naturæ Orbem illum, & circulum non defuere, qui carminibus celebrarent, nobis alius hic Orbis dignus pariter videtur, quem heroico carmine

X com-

commendemus. Primo igitur libro pauperiem explicabimus, unde pax oritur. Adoleſcentem cupidum felicitatis inducimus, qui delatus ad regnum paupertatis, & à Diogene circumductus, illic heroas clariſſimos recognoſcat, ad egregia quæque eruditos ſub ſæuæ paupertatis diſciplina, Hebræos, Scythas, Græcos, & Romanos. Ad laudes verò huius virtutis exponendas philoſophorum pauperrimum adhibemus Cynicum, vt vitia oppoſita liberius carpat, præter ius Poeticæ licentiæ, magnis etiam exemplis inſiſtentes, Dantis præſertim Alighery, qui ſe Chriſtianum hominem à Virgilio per Inferorum loca deductum fabulatur. Quamobrem nemo nos accuſabit antequàm illum damnet.

CAR-

CARMEN.

PAuperies nutrix pacis, pax alma potentum
Mater opum, genita ex opibus teterrima proles
Luxus, & à luxu erumpentia bella, datura
Pauperiem, noſtri Aonides ſint carminis ordo.
Sic orbem aſſidua voluit vertigine mundus.
Alterum in alterius naturam corpora migrant,
Morte nouant vitas, terra, ignis, pontus, & aer.
Extremæ donec poſt fata nouiſſima lucis,
Ortum qui dederat, finem orbi ponet vtrique,
Æternamque ferent elementa, & ſecla quietem.
Iam puer indocilis ſtadium confecerat æui,
Et dubiæ rationis iter, ſpatiumque tenebat
Ætatis, vitæ, quo mens auriga regendæ
Accipit arbitria, & ſenſum moderatur habenis.
Cum ſubijt mentem noſcendi immenſa cupido,
Quæ nam conditio rerum, & menſura, beatum
Efficeret? num delicijs infecta voluptas,
Num congeſtæ auro, curarum ſemina, maſſæ,
Aut fucatus honos, aut regni optabile culmen,
Sed pariter metuendum; An præſtet viuere paruo
Sors humilis ſecura metus, & criminis inſons.
O ſi nunc me aliquis Deus, inquit, tramite recto
Siſtat, & incertum fati, certumque pericli
Æſtibus eripiat tantis, & littora monſtret?
Vix ea cum ſubitò genitrix Sapientia rerum
Numinis Auguſti ſoboles, ad fræna citatis
Ante oculos ſe ſiſtit equis, queis ſemine cretis

Aetherio, ipſe Pater Diuum mentémq. animumq.
Ardoremque dedit. fremit alter, & ignea crebrò
Membra rotans, celeres iaculatur in aera ſaltus,
Cui dedit ingenij volucris, vis viuida nomen.
Alter at inceſſu grauior, veſtigia certo,
Certa pede, & dubias catus explorare viarum
Ambages, quem, cum dijudicet omnia recto
Lumine, iudicium dixere. hunc Phębe quadrigis
Iunxiſſes nati, non illum inſanus equorum
Impetus abriperet miſerando in deuia curſu,
Nec Phaetontæas fleret natura ruinas.
Vſque adeò conſtans, nec egens moderamine virgæ
Ille ſatis comitemque regit, currumq. gubernat.
Protinus agnouit natiua in luce micantem
Reginam Iuuenis, curruque exceptus, in auras
Euehitur, donec peregrini in margine mundi
Expoſitum verbis ſic Diua affatur amicis:
En generoſe, tenes tota quod mente petebas.
Vtere ſorte tua, nam poſthac dux eris (inquit)
Ipſe tibi. Et ſimul his dictis exceſſit in auras.
Ille oculos circumuoluens, ampliſſima regna
Miratur, fines non ſeruant, arma, nec arces,
Pauperies etenim nullo cuſtode tuetur,
Præſidium ſatis ipſa ſibi; dextraſque rapaces
Nomine vel ſolo tenuis propulſat egeſtas.
Vnus at hic iuueni greſſus inferre paranti
Squallidus ore ſenex occurrit, plurima mento
Canities, crines intonſi, attritus amictus,
Paupertate tamen fruitur. teſtudinis inſtar
Doſiolum domus eſt, habitator mobilis ædis

Huc

Huc illuc ſua tecta rotat, queis frigora ſuetus
Arcere, æſtiuos pariter defendere ſoles,
Dignus Alexandro viſus, quem crederet vnum
Felicem, & mundi ſolùm domitore minorem.
Ille vbi fulgentem iuuenem circumſpicit auro:
Quiſquis es, audaces iam greſſus comprime, regna hæc
Diuitibus calcare nefas, niſi ſerica pannis,
Plebeiaque toga, trabeas, & ſyrmata mutent.
Non eget ornatus, ornat quæ cętera virtus.
Mens bona diuitijs, & ſpreto quæritur auro.
Cui Iuuenis, Non eſt (inquit) graue perdere nugas
O Pater, vt me poſſideam. Si regna reliqui
Patria, veſtis erit facilis iactura, vel auri,
Dum me naufragio eripiam quo mergitur Orbis.
Hac voce, abiectis gemmis, & pondere torquis
Aurati, & cunctis grauiore cupidine habendi,
Miratur ſeſe ſpatioſa per arua volantem.
Sedibus in primis geminos, vbi nouit adorat
Humani authores generis, qui limine in ipſo,
Stabant velati nemoroſæ veſtis amictu
Arbuteis tecti folijs, & pellibus hędi,
Ex rerum quondam Dominis facti omnium egeni
Ante grauem læſi, quam ferrent numinis iram,
Heu dulcem guſtando necem! nil ditius illis
Sub Cœlo fuerat, nil fortunatius; Orbem
Auſpicijs iunctis, animantum & ſæcla regebant,
Terrarum culti obſequijs, & munere Diuum,
Mortali numquam paſſuri in corpore mortem.
Tot rerum nimium felix opulentia culpam,
Culpaque pauperiem peperit, quæ rurſus Olympo

Conciliat miſeros. nam poſtquam terra negauit
Ferre cibum immeritis, atque ijs didicere magiſtris
Detrectare feræ imperium ceruice rebelli,
Tunc vita in varios hominum diducta labores
Pauperie monſtrante fuit, lacrymæque, dolorque
Immixtæ dapibus, pacem extorſere Tonantis.
Copia ſic morbum genuit, quem ſanat egeſtas.
Hic vero Iuuenis ſecretum conſpicit vnum
A turba, fluuij ripas tranſire parantem,
Et vada tentantem baculo: quiſnam ille? (requirit)
Magnum Heroa notat facies venerabilis æuo
Iam medio, & ſtabilis greſſus fiducia, quamvis
Incomitatus eat, vilique accinctus amictu.
Subijcit hic doctor, vitæque, viæque magiſter.
Non tua mens equidem fallit, nam magnus Iacob
Ille, ſuum fugiens qui fratrem, pauper & exul,
Cum gregibus rediturus erit turmiſque ſuorum,
Et Pater ingentis populi, Regumque futurus,
Interea dant victum inopem ſilueſtria pruna,
Sedat limpha ſitim, prædurum, terra cubile,
Et lapides pro puluino: ſed cernit ab illis
In ſomnis ſcalam tangentem vertice Coelum:
Cælicolas deſcendentes ex æthere terris,
Hinc aſcendentes ſurſus, ſtat margine ſummo,
Et loquitur numen; contingunt talia quando
Somnia diuitibus? licet illi mollia plumis,
Sub teſtudineo dent corpora conopæo,
Et ſaccus lateat ſub lecto turgidus auro
(Si medico vlla fides) facturus ſomnia læta.
Pauperies hæc viſa parit fælicia; firmat

Quin

Quin eadem vires, & neruos roborat, vnus
Sic numen contra fortis luctatur Iacob.
Quis verò ille alter radianti vertice paſtor?
Fallor, an eſt Moſes? profugus qui Regis ab aula
In deſerta volat, calcator ſtemmatis aurei
A puero, poſtquam in cunis, & paupere ciſta
Expoſitus, Nili tumidis errauit in vndis
Securus, nitidiſque infans formoſus ocellis,
Flumina magna prius, dein Reges flexit amantes.
Tempore iam ex illo, virgas, paſtoria ſceptra,
Antetulit Regum ſolijs, armentaque regnis,
Pauperiemque ſuam, ſtirpis Regalis honori.
Ergo quaterdenos in ſyluis exiget annos.
Herboſoque greges paſcens in gramine paſtor
Hinc ſumet documenta viros & regna regendi.
A flagrante rubo, incombuſtoque vocatus
In magnum Imperium quem numen numinis inſtar
Mittet adorandum Memphi, plebiſque tyranno
Niliacæ. Tigribus modò formidandus, & Vrſis,
Mox Ducibus; populi, iam non armenta ſequentur.
Fatalis virgæ, geſtat quam dextera, pondus
Sentiet Ægyptus natorum immerſa cruore.
Sentiet æquor aquis diuiſum, & limite ſicco
Hinc, atque hinc vitreo fluitantes aggere muri,
Criſtallum ſimulante freto, licet humor obundans
Mobilibus ſtrepitet furijs. via facta per æquor
Excipiet populum fugientem, & amica trementem
Prodigia; attonitis dum oculis pendentia cernunt
Naufragia, & ſtantem pelagum, rupeſq. natantes.
Nec ſine cura hilares, & cum formidine tuti,

Spumantes cumulos ruituri gurgitis horrent.
Inſtant interea Pharij fugientibus; auſi
Credere ſe pelagi ſemper fallacibus vndis
Tunc verò inſolita fremerent cum compede vinctæ
In vada, ſponte relapſuris. Sic præcipitante
Obruit Aegyptum, dederat, quæ virga ſalutem
Stante freto Iſacidis, & ſceptris clarior vna
Omnibus, ingentis meruit pœana triumphi.
. At fortunatus ſi numquam ſceptra tuliſſet
Pro virga, ille Saul. viden vt ſupereminet omnes
Paſtores humeris? hic dum iumenta requirit,
Incidit in Regnum: monitus qui ſuggerit olli,
Eſt Samuel Vates: canitur ſed fabula ſurdo.
Omnia mente fluent, vbi regni ſumet habenas.
Difficile eſt capere imperium, nec perdere mentem.
Cum fraude, inuidia, & faſtus fecere Saulem
Mancipium de Rege ſuum; ſolioque potitus
Amiſit ſe ſe, ſolio qui charior omni.
Pauperies Regnum dederat, dat funera Regnum.
. Aemulus auſpicio ſceptrum meliore capeſſet
Succeſſor Dauides; aries quem geſtat in vlnis
Hunc ſuffocati rapuit de fauce leonis.
Paupertas robur iuueni inſuperabile finxit,
Et ſubigendorum documenta dedere Gigantum,
A puero ſtratique vrſi, domitique leones.
Quam mirum egregiæ tantum cum robore formæ
Conſenſiſſe decus? Iuuenis formoſior alter
Non fuit Iſacidum, nec fortior extitit alter.
Sed decor, & robur ſunt ancillata pudori:
Firmauitque pudor vires, auxitque decorem.

Tale

Tale pudicitiæ cum forma fœdus, in vrbe
Inuenias rarum inter opes, ſua dona frequentat
In campis. Donec Dauides armenta colebat,
Nulla illum in rudibus decepit adultera ſyluis:
Iſacides quamuis multæ in Iordane lauarent,
Sed Suſannæ omnes; quarum inter nomina, nulla
Berſabee, pretio diadema emptura pudoris.
Crimina cum Regno didicit, tamen obruit heros
Crimina virtutum radijs. quid regia proles
Poſt regnum genita? hæc patriæ non æmula laudis
Sed ſceleris, thalamos auſa inceſtare ſororis,
Patris adulterium fecit leue. Creſcere namque
Poſt exempla ſolet vitium, decreſcere virtus.
Mox Ammon ſoluit, ſed cui nam ſanguine pœnas?
Fratri. Grande nefas non inferiore piatur
Flagitio, crimenque vlciſcitur, & facit alter?
Nec ſatis; vt doceat ſe profeciſſe, cubile
Abſalon, & ſolium patris haud calcare veretur.
Quem tamen infelix genitor, timuitque rebellem,
Fleuit & extinctum, cum crine reuinctus in aureo,
Pendulus è quercu iactaret corpore ſaltus.
Quos aliter ſaturas daret Abſalon ante capellas,
Pauperiem lætus coleret ſi paſtor auitam.
Natorum neque enim in patrem ciet arma, regendi
Armenti ambitio. Cuſtos eſt pacis egeſtas.
Hac vice ſermonum, veniunt ad fluminis vndam
Quod gentem Iſacidum, à Scythicis diſcriminat oris.
Illic aduerſæ viridanti in margine ripæ
Belligeros proceres, ſecum ſua regna trahentes
Agnouere Scythas, magnis fundamina ſceptris

Qui poſuere, armis, & paupertate potentes.
Coniugium in plauſtro, natique & curta ſupellex
Vna omnis fortuna domus, Dominique vehuntur,
Aſſultant arcus humeris, laterique pharetræ.
Pallada non illi doctas coluere per artes,
Nec merces mutare cati, nec fallere norunt.
Crimina non leges, aut interdicta tyranni,
Sed natura vetat, colitur fas, iura, fideſque
Ingenijs, & more patrum. Ignorantia felix!
Quandoquidem neſcire nefas, plus contulit illis
Quam doctrina ſagax, & vana ſcientia Graijs
Virtutum. Scythia exercet, quas Græcia libris
Tradit, & exemplis anteit documenta ſophorum.
Nec minor innocuum fouet indulgentia victum
Naturæ; ſtillant omni de cortice mella
Iniuſſis fabricata apibus, chryſtallina puri
Pocula dant fontes, exundant lacte capellis
Vbera, Pantheræ domitæ, Tigreſque, trophęum,
Et veſtis pariter, munimentumque geruntur.
Vſque adeo ſuppleuit opum mala munera, diues
Ingenitis natura bonis. Non quæritur illic
Argentum, aut aurum, deſideriumque metalli
Fulgura compenſant ſolis pretioſa diurni,
Sydera per noctem, atque argentum nobile lunæ.
Illic luce noua claros imitata ſmaragdos
Lętior herba viret; fulgentior igne pyropi
Purpura viua roſæ eſt, Alabaſtrum lilia vincunt,
Indum ebenum nunquam vaccinia nigra laceſſet,
Nec læuis Chriſtalla Adamas, cœlumq. ſerenum
Saphirus, nec Berillus vada cærula ponti,

Nec

Nec Baccæ rores, queis ſol gemmaſcit Eous.
Luſtratos Scythicæ poſt paupertatis honores,
Frondoſos adeunt ſaltus, virideſque receſſus
Doctorum nemorum; quibus expatiantur in vmbris
Argolici Vates, ſua ſceptra, & ſerta gerentes,
In manibus lauri virgas, in fronte corymbos.
Hic veneranda biceps imitatur culmina vertex
Parnaſſi, argenti decurrit pauperis vnda;
Arguto doctum ſimulans Helicona ſuſurro.
Arboribus medium gradientibus, atque ferarum
Concilijs Orpheum cernunt, cum rupe trahentem
Auritas circum cautes, fluuioſque morantem
Præcipites, dum pulſat inops teſtudinis aurum,
Attonitas inter tygrides, & corda leonum
Obſequioſa lyræ concentibus; ille ſequentes
Anteit, & pulſis partitur carmina neruis.
Nec minùs, & ſocij meditantes grandia vates,
Ibant ſecreti à turba, vulgique profani
Oſores, genio tantum, muſiſque vocabant.
Non illos ſtrepitus armorum, aut fulmina terrent.
Bella canunt, procul à bellis, incendia fumant
Regnorum in cartis tantum, narrataque pacem
Prælia non turbant; quæ ingratum vera videre
Vulnera, ficta placent; ſtrageſque & funera, nobis
Quas audire timor, illis cantare voluptas:
Dum lyra terrores fingit manſueta tubarum.
Ante alios, acies in fata, duceſque ruentes
Mœonius vates numeroſa voce ſonabat,
Atridas, Priamumque, & ſæuum ambobus Achillem.
Græcia, cui victrix, cui debet Dardana tellus

Victa;

Victa; rogis etenim melioribus omne per æuum
Troia nitet, viuitque ſibi poſt fata ſuperſtes,
Mœonia phrygios cineres animante fauilla.
Ille tamen rerum vacuus, quas exigit vſus,
Vtque ſuus pauper, ſed non miſerabilis, Irus,
Poſt tot cantatos Reges, poſt aurea dicta,
Eſurit; & latrante fame, interrumpere grande
Cogebatur opus, pretioſaque carmina, vili
Pro ſtipe ſoluebat, cum mendicaret Homerus.
Ditior ò gazis, Craſſique, Midæque ſuperbis
Pauperies! ò cæcum æquantem lumina ſolis!
Quis tantas alere ad bellum, turmaſque, duceſque
Diuitijs Craſſus potuit? Quot ſcripſit Homerus
Europæque, Aſiæque acies, tot fulmina Martis,
Tot Ioue nutritos Reges: Nec fleuit, vt olim
Millia bellantum Xerſes peritura, ſed æuum
Immortale dedit populis, famaque perenni
Exequijs ſupereſſe ſuis mutabat in aurum
Contactu quæcunque Midas, hic voce canora;
Regalem Alcinoi ſedem, pulchroſque Penates
Cælicolum, Heroum clypeos, dyademata Regum;
Lucis, & æris inops modulamine finxit Homerus;
Tantum, centeno, nec lumine viderit Argus.
Nec procul hinc alij proceres verſantur, alumni
Gradiui, ac Sophiæ meliori tempore nati,
Tempore, quo felix vernabat moribus aureis
Græcia, barbaricum quia nondum nouerat aurum,
Seu viſum antetulit nondum virtutibus aurum.
Confuſi galeis libri, clypeiſq. papyri,
Loriciſq. nitet membrana; vibrare cruentos

A gladijs calami radios, at pingere diſcunt
A calamis gladij, & pro ſanguine fundere famam.
Laurus vbique viget, ſeu fortia tempora circum
Seu doctas erret frontes; ſic fœdere iuncta
Conuenere nouo, Bellonæ, ac Palladis arma.
Conueniunt pariter quos præceptore Licurgo
Paupertas aluit Spartæ patientis, & artes
Quas per Muſarum, placidæ coluiſtis Athenæ.
Callibus oppoſitis, virtutis culmen ad vnum
Inter ſe infenſos populos perduxit egeſtas.
Illic diuitijs pelagus ſaturabat auarum
Crates, & inſtabili inſtabiles immerſerat vndæ;
Nec ſicca tempeſtates in mente cierent.
Nec non Pitagoras vitæ documenta, ſilendo
Tradebat; ſtabant circum taciturna ſophorum
Agmina, quoque minus linguæ, plus cordis habebant.
Perpetuis Heraclitus ſiccarat ocellos
Imbribus; at pleno laſſauerat ilia riſu
Democritus; qui non oculorum perdere lucem
Horruit, vt meliorem hauriret pectore Solem.
Proximus his graditur Socrates; ſapientia magnum
Quem fecit, ſed maiorem generoſa cicutæ
Sorbitio; nam dum falſum negat ille Deorum
Numen, adorati procumbit victima veri.
At Plato dilecti pendebat ab ore magiſtri
Vſque, Syracuſij contemnens dona tyranni.
Hic faſtu longum raptabat ſyrma ſuperbo,
Quod faſtu Cynicus cępit calcare iocoſo,
Verum oculis cętu multum quæſitus in illo,
Vnus Ariſtoteles aberat, per munera magni

Diſci-

Diſcipuli, paupertatis ſpoliatus honore.
Sed non hinc aberat Phocion, quem vincere fruſtra
Tentauit donis, Orbem, qui vicerat armis,
Diues Alexander Phocione à paupere victus;
Fortior eſt donante aurum, qui ſpreuerit aurum.
At Salaminiaco, Marathonioq. triumpho
Heroes clari mixti ſapientibus ibant,
Iuſtus Ariſtides, & cum Temiſtocle, vinclis
Miltiades liber poſt funera. Copia laudum
Cui maior? Partæq. armis opulentia famæ?
Hic Aſiæ innumeras peditumq. equitumq. cateruas
Paucorum virtute domat, millenaq. fundit
Agmina. Perſarum Marathona cæde cruenta
Nobilis emerſit, traxitq. in ſæcula nomen.
Tum Victor patriam ſpolijs hoſtilibus Vrbem,
Et picturatis exornat longa figuris
Atria. Graiugenum ſpectes in imagine martes,
Miltiadem medium ducibus, circumq. ſupraq.
Loricas, galeaſq. & non felicia tela,
Perfoſſos clypeos, atq. eſſeda fracta, rotaſq.
Barbaricum tota diſperſerat Vrbe trophęum.
Sed quæ ſumma fuit tantarum linea rerum?
Ingratæ Patriæ iuſſus dependere mulctam,
Iniuſtam, magno pro argenti pondere, & auri,
Dum centum numerat palmas, & mille trophęa,
Claudit inops, impar ſoluendo, in carcere vitam.
Nec poſt fata miſer baratrum mutaret in vrnam
Miltiades, tradat niſi natus corpora vinclis,
Vt redimat patrium pretio viuente cadauer.
Sic etiam inuidiam tamen ærumnoſa meretur
Pau-

Pauperies; Nam diuinos iniuria reddit
Grandia poſt merita heroas, dum fortis iniquæ
Vulnera, perpetui famæ ſolantur honores.
Sed quo pauperiem tranſmittam in ſecula cantu
Epaminonda tuam? quam per dona aurea Reges
Subijcere aggreſſi fruſtra, expertiq. minores,
Obſequijs coluere ſuis. Hoc Grecia nullum
Splendidius, radijs virtutum ſydus adorat.
Doctrinis clarum, cultu pietatis, & æqui,
Et fortunato miſcentem Pallada Marti.
Gloria Thebarum! nam te viuente, fuerunt
Felices Thebæ, quæ te cecidere cadente.
Tu Lacedemonios à paupertate feroces
Græcorum Imperio ſpolias, patriamq. coronas.
Teſtes magnanimo fatalia Leuctra Laconi,
Virgineique alto ſatiatis ſanguine manes:
Mantineæ infelix ager, Eurotaſq. ſuperbus
Thebano calcatus æquo. quo tempore primùm,
Fortia cum caderent animati pectora muri,
Spartanę inſolitum matres duxere colorem,
Suppleuitq. viros in prelia femina; ſexum
Sic etiam imbellem, bellis indurat egeſtas.
Talibus auditis, viſiſq. incæpit amara
Pauperies animo iuuenis dulceſcere; iam ſe
Aſſociare choris ardet, iam iungere voces.
Saluete ò Graiæ clariſſima lumina terræ!
Veſtra quidem nullis occumbet gloria ſeclis:
Paupertas vobis geminato munere, magna
Et facere, & narrare dedit, ſemel edita, ſemper
Facta legenda manent, calamos tractaſtis, & enſes
Laude

Laude pari, & nullus digno ſine teſte triumphus.
Sed veſtræ cecidere vrbes, cecidere trophæa,
Argolicæque arces, & ne ſolatia cladis
Eſſent vlla ſuper, ipſæ periere ruinæ.
Nomen inane ſonant Thæbæ, Sparta, Argos, Athenæ.
Dixerat, huic retulit propior ſed dicta Licurgus
Legifer ille ferus, Spartæ fundator, & altor.
Paupertas vtinam Graiorum priſca vigeret!
Staret adhuc, leges & ferret Achaia terris,
Gentibus horribilis, toti venerabilis Orbi.
Sic mea quingentos regnauit Sparta per annos,
Paupertate ſua felix. procul omne metallum
Argenti, auriq. & mala germina diuitiarum
Deliciæ. ferri rude pondus, & igne peruſtum
Nummus erat; ſimplex, & circumciſus amictus,
Tantum membra tegens, munimentumq. pudoris
Non hyemis; feſſis iucundum terra cubile,
Et pro puluino galeæ, pro ſtramine tela.
Arcta Ceres, ius nigrum, & conditura, labori
Mixta fames, luctæ deterſo puluere, nando,
Eurotas gelidis præbebat balnea limphis.
Ne tenerà hoſtiles plagas, & bella iuuentus
Horreret, media ſacrorum in pace, Dianæ
Ante aram, rigidis nudabat terga flagellis
Dilanianda; forent vt votum, quæ daret hoſtis
Vulnera; nec rupto gemitu, nec voce, dolore
Sub tanto, tacitum patientia robur alebat.
Hinc bello indomitæ vires, ad vulnera, crudi,
Infractique malis animi, profuſa cruoris
Pectora, nec mors terrori, queis viuere pœna;
Mors

Mors miſeris, ſopor eſt,& ſtratum dulce, ſepulchrum.
Moribus his meruit, Sparta duce, Græcia Regnum
Deuaſtare Aſiæ, & vincendo currere ad Indos.
Pauperibus dites ceſſerunt, fortibus armis
Præmia deliciæ, ferroq. ſubegimus aurum.
Sed nihil humanis fas quemquam fidere regnis.
Quis credat? funus Danais, tulit ille triumphus
Barbaricus, fregitq. ſuis nos Perſa ruinis.
Media capta etenim ſpolijs nos cępit, & auro
Vicit, victa ſuo; nocuit fortuna iuuando!
Quàm meliùs Marathon noſtro, & Salamina cruore
Spumarent! non tot clades virtutis Acheæ
Inueheret, cum Perſarum victoria luxu,
Diuitiæ, Marathon Graijs Salamina fuiſtis!
Hæc verba, & triſtis, facies veneranda Laconis,
Lumina męſta diu amborum, atq. immota tenebant,
Sed comes admonuit, non inferiora manere
Spectacla, Aeneadas, paupertatemq. Latinam,
Quæ totum imperio terrarum ſubdidit Orbem.
Ergo breui facilis ſuperato vertice collis,
Arua operoſa vident populis habitata togatis.
Hic genus Aeneæ, valido terraſq. labore,
Et ſua membra domant, duro pars vomere findit,
Pars raſtris exercet humum, nudata lacertos,
Cruraque, & intonſos ſine tegmine ſquallida crines,
Tam cane ſub ſicco, gelidæ quàm ſydere brumæ;
Res anguſta docet ſolem perferre niuemq.
Illic antiquæ notiſſima nomina famæ
Degebant Curij, conſumatiq. Catones.
Scipiadæ duri, & Decij deuota gerentes

Pecto-

Pectora pro patria, & priſcæ virtutis imago,
Ac geminæ exemplum fortunæ grande Camillus.
Quem Cynicus iuueni digitis, & carmine monſtrat.
Romulus hic alter, Romanæ & conditor vrbis.
Qui dum iuſtitiæ cultum, præponit amori
Imperij, imperio malunt ſeruire Quiritum,
Quam regnare ſua cum libertate Faliſci.
Mox idem inuidiæ furijs expulſus ab Vrbe,
Poſt patriam euerſam, Gallorumq. igne flagrantes
Relliquias, faſces renuit dictator, & exul
Accipere, obſeſſus iubeat ni rite Senatus,
Vrbe vel in capta tanta eſt reuerentia legum.
Quid Cinnatum referam, fortemq. colonum,
Egregiumque ducem? de paupere rure, petentem
Caſtra paludatum, & repetentem, Marte peracto
Agreſtes operas, intermiſſumq. nouale.
Qui modicum differre putat gladium, atq. ligonem,
Sub iuga, ſiue hoſtes domitos, ſeu mittere tauros,
Et lauro florens, pro curru ducit aratrum.
Fabritium ne canam? tenui menſa & lare paruo,
Regis ad inuidiam viuentem. vincere ferro,
Non fraude, hic Pirrhum voluit, victum ante, ſuarum
Prodigio grandi laudum. dum nobile pectus
Concutere herois, nec bellua nigra, ferarum
Ille gigas valuit, nec rurſus monſtrum Elephanto
Haud immane minùs, quamuis ſpecioſius, aurum.
Qui populos humeris vnus ſupereminet altis,
Et prope ſtat nutrix lupa fida imitata catellum,
Romulus eſt Vrbis fundator. Quam bene Martis
Progeniem ſimulans, oculis, & pectore forti
Magna-

Magnanimiſq. auſis maternum crimen honorat?
Hunc prætextatus pecoroſa veſte Senatus
Inſequitur, quos ad Regis frondentia tecta
Accerſit, paſtorali caua buccina cantu.
At Dijs fictilibus libat Numa; thure minuto
Rex pauper. ſolitam Tullus diffindere quercus,
In frontes docet hoſtiles torquere bipennem,
Et geſtare ſudes ad prælia nuda præuſtas.
Ante diem Phębus condat, referatq. renatum,
Quàm vacet illuſtrem penitus cenſere Quiritum
Pauperiem; qua nil erranti lampade titan
Vidit, & edomitus ſenſit generoſius Orbis.
Quis labor inſolitus, quis nam locus aſper egenæ
Militiæ aſſuetis, noctesq. dieſq. labori?
Lorica pectus, galeaq. abſcondere ſiluam
Crinalem ferratum orbem portare ſiniſtra,
Et vallum dextra, atq. innexa cibaria vallo
Dimidium in menſem, præbentibus obuia riuis
Pocula; nam pondus pariter, fulcrumq. ferenti
Vallus, & arma viros non plus quàm membra graua-
Emenſaq. via iniuſto ſub faſce, quietis (bant.
Inſtar erat feſſis labor alter, ducere foſſas
In girum, & pinnis munire, atq. aggere caſtra.
His ita firmatos nullæ terrere phalanges
Hoſtiles potuere vmbrantibus ætherea telis,
Non Thracum romphęa, Macedoniæq. ſariſſæ,
Nec Germanorum frameæ, contortaq. Galli
Geſa manu non Hiſpano vibrata lacerto
Lancea, ſeu gladius, vel Medus acinacis, arcus
Parthorumve fugæ, metuendaq. terga, nec altæ
Fran-

Frangendæ iaculis arces, vincenda natatu
Flumina, & aſcenſu montes, Lybiæq. calentis
Deſerta, & colubri, aut zonæ ſparſura niuoſæ
Vellera cana comam, & per mille pericula gazæ
Venandæ Indorum: Paupertas cuncta domabat,
Omnibus imponens terrore ſilentia bellis.
Sic per millenis ſpolia importata triumphis,
Pauper diuitias Romanus tranſtulit orbis:
Diues at Orbe fuit ſpoliata à paupere Roma.

FINIS.

Digitized by Google

Pag.	v.	*Errata*	*Corrige.*
7	16	Cui pretioſa facundia	Cui pretioſa ſui facundia
17	5	ad capeſcēda	ad capeſſenda
19	25	vtſitq;dolentem	vtitq. dolentem
22	4	futor	furor
26	1	aſtat	afflat
29	2	in ſontes	inſontes
40	2	Principes	Princeps
43	24	trahat	trahet
44	13	redimere	redimire
48	5	debitos	debitis
68	12	interpelat	interpellat
70	10	an ſit	an ſit
88	29	totos	toto
90	1	queis infula	queis integit infula.
94	23	tenebis	tenebit
112	30	aſtris	auris
123	17	Europa	Europæ
128	25	libeiatur	libratur
132	6	huius	huic
133	10	toto	tot
134	9	ſibi	ſi
138	20	fatis famæ	fatis, & famæ
146	21	& Valachiā	vt Valachiam
146	27	Hæreſim	Hæreſis
159	9	Quod duce	Quo duce
162	8	venenatum	venantum
171	10	vitet	videt
177	11	Qui dedit, mundum	Qui dedit, & mundum
178	15	oculis	occulis
180	25	ætra	atra
191		CENÆ	SCENÆ
195	24	extinguituri	extinguitur.
196	1	Occumbat	Occupat
197	18	iuglum	iugulum
199	8	cantus hoc	cantus hos
205	27	cantus	cantu

Pag.	v.	*Errata*	*Corrige.*
205	30	Quid	Qui
208	12	Virgulata	Virgulta
208	30	Sublimi	Sublimis
211	30	eripat	eripiat
214	12	pareant	pereant
217	4	arca	arua
218	7	Ludentem	Ludentum
223	20	Ipſe feris, & Numen	Ipſe feris, Numen
231	30	palmam	palam
232	30	occulante	occultante
235	25	Noſte	Hoſte
252	13	equi	equis
257	2	ac	nec
260	29	ſua	ſuas
263	7	cruoris	cruori
263	22	tepetes	tapetes
266	29	Contingerat	Contigerat
267	1	generi	generis
270	8	niuцos	niueo
275	17	hoſtem	hoſte
280	6	præſtas	præſtat
280	18	præſtat	præſtet
281	1	Numinaq.	Fluminaq.
281	10	An fertis	Aufertis
281	25	pęnis	pęnas
281	26	pęnas	pęnis
282	27	Calcatus	Calcatas
286	7	noſtra	noſtræ
288	12	Lybiæ	Lybie
289	16	cupidum	cubitum
293	18	Lybiæ	Lybie
305	6	toto	tot
321	7	opex	opes
334	13	Marathona	Marathon à
335	16	ſatiatis	ſatiati
333	18	æquo	equo
333	8	Quas	Quos
333	13	Nec	Ne
338	13	Cinnatum	Cincinnatum.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google